QUAESTIONES AGONISTICAE

IMPRIMIS AD OLYMPIA PERTINENTES

SCRIPSIT

FRIDERICUS MIE.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXXVIII.

QUAESTIONES AGONISTICAE

IMPRIMIS AD OLYMPIA PERTINENTES.

COMMENTATIO

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ROSTOCHIENSIUM ORDINE

PRAEMIO ORNATA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

EIDEM ORDINI

TRADIDIT

FRIDERICUS MIE

MEGALOPOLITANUS.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXXVIII.

Ref.: Prof. Dr. G. KOERTE.

GUSTAVO KOERTE

FRIDERICO LEO

S.

Petrus Faber *(agonisticon libri III* in Gronovii thesauri antiquit. Graec. vol. VIII 1757 sq. recepti) cum de aliis rebus agonisticis tum de Olympiorum ordine et institutis primus scripsit. Is summa cum diligentia vastam materiam congessit, congestam non digessit. Neque qui Fabrum secuti sunt multum profecerunt — Corsinium *(dissertationes IV agonisticae.* Lips. 1752) inter alios nomino, qui quamquam res in ordinem quendam adduxit, tamen scriptorum locis a Fabro collectis usus quod potuit eruere ausus non est. Accuratius Dissen (acta soc. Gotting. VIII p. 89 sq.) in Olympiorum ordinem inquirere studuit, sed veterum testimoniis neglectis imaginem Olympiorum plane fabulosam depinxit. Disseni commenta G. Hermann (opusc. VI p. 4 sq.) refutavit. Post hunc Meier (encyclop. Halens. III 3 p. 293 sq.) sagacissime rem aggressus multa quae ad Olympiorum ordinem et instituta spectant absolvit et perfecit. Tamen totum de Olympiis quaestionem Krause *(Olympia.* Vindob. 1838) instauravit; sed uberius et confusius quam rectius. Praeterea Kindscher (Iahn. ann. suppl. XI p. 485 sq.) de Olympiorum ordine disputavit et errores quosdam virorum doctorum correxit.

Terra Olympica ab a. 1879—1881 effossa fundamenta quibus quaeque de rebus Olympicis quaestio inniti debet maxime amplificata sunt. Titulorum quorundam testimoniis auctus Holwerda (diar. arch. XXXVIII p. 169 sq.) studia Olympica conscripsit. Qui quae fuerit ἐφεδρεία satis recte disseruit; quaestionem autem de certaminum ordine levi brachio tetigit.

A. 1886 philosophorum ordo amplissimus in academia Rostochiensi quaestionem de Olympiorum ordine et institutis proposuit. Equidem hoc opus aggressus, cum de omnibus Olympiorum institutis disserere satis longum esset, id egi ut eas res quae disputatione praeter ceteras digna mihi esse videbantur tractarem (cap. I—III). Cap. IV in res quasdam agonisticas ad Olympia ipsa non pertinentes inquisivi. Augustalium autem Neapolitanorum instituta indagandi Kaibel vir doctissimus egregiam ansam mihi dedit, cum Koertio praeceptore benevolentissimo intercedente schedulas quasdam corporis quod inscribitur *Inscriptiones Graecae Italicae et Sicilienses* (p. 185—208), quod propediem in lucem prodibit, liberaliter mecum communicaret.

Caput I.

De Olympiorum administratione.

Iphitum ex Oxyli Eleorum regis genere ortum (Paus. V 4, 5) solum ludos curasse et post eum eodem modo Oxyli posteros Pausanias [1]) narrat. Olympiade autem 50 ex omnibus Eleis duumviros qui ludos ederent sorte ductos esse; deinde novemviros e. q. s. Itaque si Pausaniam sequimur, inde ab initio Elei perpetuo certamini Olympico praesedisse videntur excepta olympiade 8, 34, 104. Has enim olympiades ab Eleis anolympiades vocatas, quia non ipsi Elei, sed Pisaei et Arcades ludos celebrassent, neque in fastos relatas esse idem Pausanias (VI 22, 2 et 4, 2) affirmat. Ceteras igitur omnes olympiades ex Pausaniae sententia Elei administrasse videntur.

---

[1]) Paus. V 9, 4: τὰ δὲ ἐπὶ τοῖς ἀγωνοθετοῦσιν οὐ κατὰ τὰ αὐτὰ ἃ καθεστηκότα ἦν ἐξ ἀρχῆς καὶ ἐφ᾽ ἡμῶν ἐς αὐτοὺς νομίζουσιν, ἀλλὰ Ἴφιτος μὲν τὸν ἀγῶνα ἔθηκεν αὐτὸς μόνος καὶ μετὰ Ἴφιτον ἐτίθεσαν ὡσαύτως οἱ ἀπὸ Ὀξύλου· πεντηκοστῇ δὲ ὀλυμπιάδι ἀνδράσι δύο ἐξ ἁπάντων λαχοῦσιν Ἠλείων ἐπετράπη ποιῆσαι τὰ Ὀλύμπια, καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀπὸ ἐκείνου διέμεινε τῶν ἀγωνοθετῶν ὁ ἀριθμὸς τῶν δύο. 5. πέμπτῃ δὲ ὀλυμπιάδι καὶ εἰκοστῇ ἐννέα ἑλλανοδίκας κατέστησαν· τρισὶ μὲν δὴ ἐπετέτραπτο ἐξ αὐτῶν ὁ δρόμος τῶν ἵππων, τοσούτοις δὲ ἑτέροις ἐπόπταις εἶναι τοῦ πεντάθλου, τοῖς δὲ ὑπολειπομένοις τὰ λοιπὰ ἔμελε τῶν ἀγωνισμάτων. δευτέρᾳ δὲ ἀπὸ ταύτης ὀλυμπιάδι προσετέθη καὶ ὁ δέκατος ἀθλοθέτης. ἐπὶ δὲ τῆς τρίτης καὶ ἑκατοστῆς φυλαί τε Ἠλείοις δώδεκα καὶ εἷς ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης ἐγένετο ἑλλανοδίκης. 6. πιεσθέντες δὲ ὑπὸ Ἀρκάδων πολέμῳ μοῖράν τε ἀπέβαλον τῆς γῆς καὶ ὅσοι τῶν δήμων ἦσαν ἐν τῇ ἀποτμηθείσῃ χώρᾳ καὶ οὕτως ἐς ὀκτώ τε ἀριθμὸν φυλῶν ἐπὶ τῆς τετάρτης συνεστάλησαν ὀλυμπιάδος καὶ ἑκατοστῆς καὶ ἑλλανοδίκαι σφίσιν ἴσοι ταῖς φυλαῖς ᾑρέθησαν. ὀγδόῃ δὲ ἐπὶ ταῖς ἑκατὸν ὀλυμπιάδι ἐπανῆλθον αὖθις ἐς ἀνδρῶν δέκα ἀριθμόν, καὶ ἤδη τὸ ἀπὸ τούτου διαμεμένηκεν ἐς ἡμᾶς.

Strabo[1]) disertis verbis exponit usque ad ol. 26 inde ab ol. 1 templo et certamini Olympico praefuisse Eleos; post hanc autem olympiadem Pisaeos patria recuperata ipsos certamen, quippe quod gloria florere viderent, curasse quoad rursus sub imperium dicionemque Eleorum redacti essent.

S. Julius Africanus (ὀλυμπιάδων ἀναγραφή) apud Eusebium ad ol. 28 adnotat: ταύτην ἦξαν Πισαῖοι Ἠλείων ἀσχολουμένων διὰ τὸν πρὸς Δυμαίους πόλεμον. Idem ad ol. 30: Πισαῖοι Ἠλείων ἀποστάντες ταύτην τ' ἦξαν καὶ τὰς ἑξῆς κβ'.

En habes Pausaniam Strabonem Africanum inter se dissentientes, quos ut congruentes efficerent viri docti fere omnes operam dederunt.

Unger (de Phidonis aetate in Philol. XXVIII p. 404 sq.) alterum utrum quem sequatur Strabonem aut Africanum eligendum esse ratus Africanum scriptorem aetate posteriorem repudiat Pausaniae testimonio adlato, qui inde ab ol. 50 binos hellanodicas sorte ductos esse tradit (i. e. praeter Pisaeum etiam Eleum) cf. p. 404. Pausaniam autem a Strabone dissidere quod anolympiadum nomen falso explicaverit. Veram enim causam cur olympiades illae (8, 34, 104) actis publicis mandatae non sint non esse quod tum Olympia ab Pisaeis vel Argivis Eleorum loco administratae, sed quod per vim et iniuriam indutiarum fide quae vocatur ἐκεχειρία violata acta sint (cf. Diod. XV 78, Strab. VIII 358).

Busolt (de Lacedaemoniis et sociis eorum p. 166 sq. adn. 124) de hac re initio verbis satis obscuris disserit, ut quid velit vix perspici possit. Pugnare enim Pausaniam cum Africano dicit, sed tamen quae Africanus exhibet neglegi non posse. Deinde multum abest ut uter vera tradiderit et quo uterque usus sit auctore eruat, ut consensum Africani et Pau-

---

[1]) Strab. VIII 355: ἐγγυτέρω δὲ πίστεως ὅτι μέχρι τῆς ἕκτης καὶ εἰκοστῆς Ὀλυμπιάδος ἀπὸ τῆς πρώτης, ἐν ᾗ Κόροιβος ἐνίκα στάδιον Ἠλεῖος, τὴν προστασίαν εἶχον τοῦ τε ἱεροῦ καὶ τοῦ ἀγῶνος Ἠλεῖοι. — μετὰ δὲ τὴν ἕκτην καὶ εἰκοστὴν Ὀλυμπιάδα οἱ Πισᾶται τὴν οἰκείαν ἀπολαβόντες αὐτοὶ συνετέλουν τὸν ἀγῶνα ὁρῶντες εὐδοκιμοῦντα. χρόνοις δ' ὕστερον μεταπεσούσης πάλιν τῆς Πισάτιδος εἰς τοὺς Ἠλείους μετέπεσεν εἰς αὐτοὺς πάλιν καὶ ἡ ἀγωνοθεσία.

saniae sibi fingat. Pisaeis postquam ol. fere 30 terram recuperavissent, convenisse cum Eleis ut communiter ludos curarent i. e. ut alter hellanodica Eleus, alter Pisaeus esset. Unde haec Busolt sumpserit me ignorare fateor. Hoc pactum, quod Busolt finxit, valuisse usque ad ol. 50 excepta ol. 34, quae Eleis exclusis a Pisaeis solis acta esset. Ol. autem 50, cum Elei bello superiores discessissent, hellanodicam Pisaeum remotum et in locum eius alterum Eleum substitutum esse. Strabonem vero narrantem ol. 26 27 Pisaeos ab Eleis defecisse errore captum esse. Qui error quomodo ortus sit ab A. de Gutschmid (apud Busoltium p. 167) sic explanatur: Strabonem cum Damophonte mortuo iam ol. 50 Eleos solos Olympia administrasse scriptum videret, de hac olympiade viginti tribus illis olympiadibus quas Pisaei soli egerant (cf. African. ad ol. 30) demptis in ol. 27, ut primam a Pisaeis celebratam, incidisse et seditionem a Pisaeis post ol. 26 motam esse statuisse.

Foerster (*de hellanodicis Olympicis.* diss. Lips. 1879 p. 14 sq.) summopere id agens ut Africani numeros cum Strabonis et Pausaniae consentientes efficiat alterum utrum Africani numerum falsum esse ratus ol. 30 Africani in ol. 28 commutandam esse censet. Sic si olympiades illas 22 Africani adnumeraveris, 50 illam Pausaniae (V 9, 4) efficies. Sed qui fieri possit ut ol. 28 melius quam ol. 30 ad Strabonis illud μετὰ τὴν ἕκτην καὶ εἰκοστὴν ὀλυμπιάδα quadret equidem non video. Idem p. 15 Weissenbornium (in libro qui inscribitur *Hellen* p. 12 sq.) Paus. VI 22, 2 pro ol. 8 scribendum esse ol. 28 conicientem secutus Eleos ponit, cum sese cura ludorum exclusos esse aegre ferrent, in fastos retulisse bello cum Dymaeis gesto se impeditos esse quominus ipsi ol. 28 ludos ederent. At illam Weissenbornii coniecturam, qua Foersteri nititur, falsam esse Unger l. l. demonstravit. Deinde Foerster: paulo post ol. 28 Eleos, cum partem aliquam curae ludorum ereptae recuperassent, foedus inisse cum Pisaeis quo sanctum esset ut binorum hellanodicarum, qui tunc pro singulis illis Eleorum instituerentur, alter ex Eleis, alter e Pisaeis designaretur. Ceterum Foerster omnino Busoltio adstipulatur.

Gilbert (antiquit. Graec. vol. II p. 97 sq.) ex Africani

adnotatione ad ol. 28 colligit — quo iure nescio — inde ab ol. 1 usque ad ol. 28 Pisaeis et Eleis communem fuisse ludorum administrationem ita ut bini hellanodicae eligerentur alter ex Eleis, alter ex Pisaeis. Strabonem autem dicentem post ol. 26 Pisaeos ludis praefuisse olympiadem 8, cum anolympias esset, numero non comprehendisse; si hanc adieceris, Strabonem quoque confirmantem te effecturum esse: Pisaeos solos primum ol. 28 ludos curasse. Haec ratiocinatio futilis est. Strabonis enim verba aliter explicari non possunt: post olympiadem 26 i. e. eo tempore quod inter ol. 26 et 27 est Pisaeos in libertatem se vindicasse. Ol. igitur 27 eos certamini praesedisse necesse est. Tum Gilbert: ol. 50 Pausania teste binos hellanodicas ex omnibus Eleis sorte ductos esse. Itaque hac olympiade primum Eleos solos certamen procurasse videri. Cum ab hac re Africanus discrepet, aut adnotationem eius ad ol. 30 in ol. 28 transponendam esse aut numerum κβ′ in κ′ commutandum. Adnotationem quae ad ol. 30 exstat in ol. 28 transponi non posse apertum est, cum alia olympiadi 28 sit adnotatio. Num κβ′ e κ′ corruptum sit postea videbimus.

Nunc ipse rem ab initio aggrediar.

De summa rerum Africanum et Strabonem congruere vidimus: Pisaeos, postquam servitutem exuissent, aliquamdiu (solos) Olympia administrasse, de singulis rebus inter eos esse dissensionem: Africanum tradere Pisaeos certamini praefuisse inde ab ol. 28 usque ad ol. 52 excepta ol. 29, Strabonem inde ab ol. 27 quoad Pisaeorum respublica exstincta esset.

Atque primum quidem quando Pisaeorum nomen ad internecionem redactum esse Strabo velit enucleemus. Ipse (VIII 355) postquam tempore aliquo post ol. 26 intermisso Eleos cum Pisaeorum imperium tum ludorum curam recuperasse dixit, hunc in modum pergit: subsidio autem venisse etiam Lacedaemonios, postquam Messenios postremum (i. e. tertio bello cf. Strab. VIII 362) oppressissent, Eleis, quod opem sibi tulissent, et ita ut terra quae usque ad Messeniam porrigitur tota Elea vocaretur. [1])

---

[1]) Strab. VIII 355: Συνέπραξαν δὲ καὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι μετὰ τὴν ἐσχάτην κατάλυσιν τῶν Μεσσηνίων συμμαχήσασιν αὐτοῖς τἀναντία τῶν Νέστορος

Ithome arx ol. 81, 1 expugnata est, quo facto fieri sane potuit ut Lacedaemonii Eleis bello adversus Pisaeos implicatis auxilium ferrent et ut illi victoriam reportarent efficerent.

Quo tempore Strabo tradit eodem Pisaeos ab Eleis subactos esse confirmare videtur Paus. V 10, 2: Ἐποιήθη δὲ ὁ ναὸς καὶ τὸ ἄγαλμα τῷ Διὶ ἀπὸ λαφύρων ἤνικα Πίσαν οἱ Ἠλεῖοι καὶ ὅσον τῶν περιοίκων ἄλλο συναπέστη Πισαίοις πολέμῳ καθεῖλον.

Templum Iovis Olympici non multo post pugnam Tanagraeam (ol. 80, 4) confectum esse Purgold (diar. arch. XL p. 179 sq.) docuit, cuius sententiam a Flaschio (Baumeister. monum. vol. II p. 1098 sq.) iniuria impugnatam esse nuper Loeschcke (*die westliche Giebelgruppe am Zeustempel in Olympia.* Dorpat 1887 p. 6 sq.) demonstravit. Itaque si paulo post Ithomen captam (ol. 81, 1) Lacedaemoniis adiuvantibus Pisaeos ab Eleis devictos esse statuimus, tum praedam ex hoc bello partam ad templum paene confectum exornandum consumi iam potuisse non negabis (cf. Loeschcke l. l. p. 6).

Herod. IV 148 Minyas, cum Paroreatas et Caucones ex ipsorum finibus expulissent terramque in sex partes divisissent, hasce urbes condidisse narrat: Lepreum Macistum Phrixas [1]) Pyrgum Epium Nudium. Τούτων δὲ, ut Herodoti verbis utar, τὰς πλεῦνας ἐπ' ἐμέο Ἠλεῖοι ἐπόρθησαν. Hoc eodem quo Pisaea ab Eleis vastata est tempore factum esse verisimile est.

Ol. igitur fere 81 cum Pisaei ab Eleis bello oppressi eorumque fines vastati essent [2]), Olympiorum curam rursus

---

ἀπογόνων καὶ τῶν Ἀρκάδων συμπολεμησάντων τοῖς Μεσσηνίοις· καὶ ἐπὶ τοσοῦτόν γε συνέπραξαν ὥστε τὴν χώραν ἅπασαν τὴν μέχρι Μεσσήνης Ἠλείων ῥηθῆναι καὶ διαμεῖναι μέχρι καὶ νῦν· Πισατῶν δὲ καὶ Τριφυλίων καὶ Καυκώνων μηδ' ὄνομα λειφθῆναι.

[1]) Paus. VI 21, 5 Phrixas oppidum Pisaeum esse vult. Attamen vehementer dubitandum est num re vera Phrixae in colle sinistrae Alphei ripae imminente sitae Pisaeorum fuerint. Herodotus ipse l. l. eas inter urbes Triphylias enumerare videtur. Praeterea cf. Xen. hist. gr. III 2, 30. Polyb. IV 77. 80. Itaque Urlichs (in actis conventus philolog. Halensis 1867 p. 70 sq.) cum de bello ab Eleis contra Pisaeos gesto dissereret, a Pausaniae loco proficisci non debuit.

[2]) Terram quae usque ad Messeniam porrigitur postea totam Eleam vocatam esse neque Pisaeorum nomen in posterum valuisse Strabo l. l. non

Eleis obvenisse e Strabonis verbis cernitur. Contra Africanus (ad ol. 30) usque ad ol. 52 Pisaeos ludos Olympicos procurasse adnotat. Quaerendum igitur est uter rectius praebeat Africanus an Strabo.

Paus. VI 22, 4: Πύῤῥου δὲ τοῦ Πανταλέοντος μετὰ Δαμοφῶντα τὸν ἀδελφὸν βασιλεύσαντος Πισαῖοι πόλεμον ἑκούσιον ἐπανείλοντο Ἠλείοις. συναπέστησαν δέ σφισιν ἀπὸ Ἠλείων Μακίστιοι καὶ Σκιλλούντιοι. οὗτοι μὲν ἐκ Τριφυλίας, τῶν δὲ ἄλλων περιοίκων Δυσπόντιοι. — Πισαίους μὲν δὴ καὶ ὅσοι τοῦ πολέμου Πισαίοις μετέσχον ἐπέλαβεν ἀναστάτους ὑπὸ Ἠλείων γενέσθαι (cf. Paus. V 6, 4). Damophon Pisaeorum rex iam ol. 48 regnavit (cf. Paus. VI 22, 3). Hoc mortuo — quando non satis constat — Pyrrhus frater Eleis ultro bellum intulisse videtur. Neque rem feliciter gessit. Pisaei et qui una cum iis defecerant in Eleorum potestatem rursus redacti sunt. [1])

Quod idem (V 10, 2) templum et signum Iovi factum esse e spoliis cum Pisaei ab Eleis bello superati essent partis dicit, hoc per se nihil offensionis habere apparet. Neque tamen Pausaniam rectum in animo habuisse puto. Is alterum bellum ol. fere 81 ab Eleis contra Pisaeos gestum ignorare videtur.

Pisaeos vero, cum Pyrrho duce ab Eleis descivissent, bello oppressos — sumamus ol. 52, cui quidem rei Pausanias non adversatur — ludorum cura expulsos esse necesse est.

---

recte dicit. Xenoph. enim (hist. gr. III 2, 30) postquam Eleos ol. 95, 3 bello devictos Phrixam Epitalium Letrinos Amphidolos Marganenses, urbes Triphyliae, et Lasionem Acroreosque et Epeum in libertatem restituere a Lacedaemoniis coactos esse dixit, tum: τοῦ μέντοι, inquit, προεστάναι τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου ἱεροῦ καίπερ οὐκ ἀρχαίου Ἠλείοις ὄντος οὐκ ἀπήλασαν αὐτοὺς νομίζοντες τοὺς ἀντιποιουμένους χωρίτας εἶναι καὶ οὐχ ἱκανοὺς προεστάναι. Itaque iam ol. 95, 3 Pisaeos Olympiorum administrationem sibi vindicasse apparet. Pisaeorum autem nomen tertio p. Chr. n. saeculo viguisse titulus Olympicus n. 331 (diar. arch. XXXVII p. 210) docet: Πεισαῖοι Σπερχειὸν ἀμύμονος εἵνεκα μολπῆς ὀλπ. σνγ′ (= 233 p. Chr.).

[1]) J. G. A. 113: Chaladrii quos Eleos esse perspicuum est Deucalioni partem aliquam terrae Pisaeae donant. Haec ipsis bello adversus Pyrrhum confecto obvenisse videtur (cf. Roehl ad h. l.). Ibid. add. 119: Scilluntiorum seditione oppressa quibus legibus haec civitas in posterum a duobus demiurgis Eleis administretur et coerceatur statuitur. Hic quoque titulus nisi omnia fallunt non multo post Pyrrhi bellum perscriptus est.

Ergo Africani ad ol. 30 adnotationem rectam esse Pausanias ceterum ab Africano dissidens confirmat, Strabonem autem testantem Pisaeos usque ad ol. 81 fere ludorum curam obtinuisse reiciendum.

Iam nobis examinandum est num qua olympiade Pisaei ludorum administrationem consecuti sint accuratius definiri possit.

Apud Steph. Byz. s. v. Δυσπόντιον (Phleg. Trall. fr. 4 in F. H. G. III 605) legimus: Δυσπόντιον πόλις Πισαίας. — Φλέγων ἐν Ὀλυμπιάδι β′ (cod. δ′) ‚Ἀντίμαχος Ἠλεῖος ἐκ Δυσποντίου στάδιον‘ καὶ ἐν κζ′ ‚Δάιππος Κροτωνιάτης πύξ. * * * (nomen victoris excidit) Ἠλεῖος (cod. Ἠλείων) ἐκ Δυσποντίου τέθριππον‘. Ex hoc loco Busolt l. l. p. 163 Pisaeos ol. 27 in Eleorum dicione fuisse collegit. Neque enim si Pisaei ol. 27 sui iuris fuissent, fieri potuisse ut Pisaei victores Eleorum nomine commentariis publicis mandarentur. Si haec recte disputata sunt, Strabonem inde ab ol. 27 Olympiorum praesides fuisse Pisaeos narrantem falsa praebere sequitur. At Paus. V 5, 3 haec verba facit: ἐθέλουσι μὲν δὴ οἱ Λεπρεᾶται μοῖρα εἶναι τῶν Ἀρκάδων, φαίνονται δὲ Ἠλείων κατήκοοι τὸ ἐξ ἀρχῆς ὄντες· καὶ ὅσοι αὐτῶν Ὀλύμπια ἐνίκησαν Ἠλείους ἐκ Λεπρέου ὁ κῆρυξ ἀνεῖπε. [1]) Lepreatae igitur, etiamsi ab Eleis subacti non essent, inviti a praecone Elei pronuntiati esse videntur. [2]) Qua re conficitur e loco illo Steph. Byz. id quod Busolt voluit concludi non posse.

Quae cum ita sint, utrum Africanus ol. 28 an Strabo ol. 27 rectius tradat certis argumentis comprobari non potest. Tamen Africanum sequendum esse censeo, cum quae ad ol. 28 et ad ol. 30 adnotat nullam moveant dubitationem, Strabonem autem de tota re parum accurate disserere videam. Pisaei igitur ol. 28, cum Elei Dymaeis bellum intulissent, occasione praeclara usi Olympiorum administrationem arripuisse, sed paulo post in pristinam servitutem ab Eleis redacti esse videntur. Neque enim olympiadem 29 ipsi celebraverunt. At post ol. 29 libertatem eos recuperasse et usque ad ol. 52 reti-

[1]) Cf. Paus. VI 3, 4. tit. Olymp. n. 136 (diar. arch. XXXVI p. 88). Arist. av. 149.

[2]) Quae fuerit fortuna Lepreatarum reipublicae cf. Busolt. l. l. p. 151 sq.

nuisse elucet, ut ol. 30 et per olympiades 22 deinceps sequentes ludis praesiderent.

Videamus quid eis quae evincere studui opponi possit.

Per totum 23 olympiadum (inde a 30 usque ad 52 ol.) spatium Eleos a sacris Olympicis procurandis non prorsus prohibitos esse iam inde elucere quod duo certe Elei in numero eorum qui intra ol. illas 23 coronati sunt apud Africanum exstent: Polynices, qui ol. 37 inter pueros, et Agis, qui ol. 52 inter viros cursu vicit, Bursian (*de tempore quo templum Iovis Olympiae conditum sit.* ind. schol. hib. Ien. 1872/73 p. 7), Foerster (l. l. p. 10), alii dictitaverunt.

In Africani catalogo Pisaeum nullum, Eleos 15 victores (ad ol. 1, 2, 5, 14, 37, 52, 60, 93, 96 (3), 97, 98, 142, 177) invenimus, quorum unum: Hypenum (ol. 14) fuisse Pisaeum Paus. V 8, 6 testatur. Quid? Ceteros Eleos quos Africanus enumerat victores num omnes ex ipsa Eleorum gente ortos esse censebimus? Mihi quidem persuasum est Africanum et Pisaeis et Triphyliis Eleorum nomen dedisse. Polynicem igitur illum et Agin aut e Pisaeorum aut e Triphyliorum gente natos esse iure suspicari mihi videor. [1])

Nunc ad Pausaniam venio. Eleos perpetuo Olympiis praesedisse excepta ol. 8, 34, 104 e Pausania apparere supra commemoravi. Has autem olympiades vocatas esse anolympiades, quod non ab Eleis ipsis, sed a Pisaeis vel Argivis celebratae essent (Paus. VI 4, 2. 22, 2). Sed si Pisaei per 24 olympiades (ab ol. 28—52 excepta ol. 29) soli ludos administraverunt, quae tandem est causa cur ne hae quidem olympiades omnes appellatae sint anolympiades? Aperte igitur Pausanias cum Africano et Strabone pugnat. Itaque res eo

[1]) Praeter Hypenum Pisaeum (V 8, 6) et 6 Lepreatas (VI 3, 4. 3, 9. 7, 8. 15, 1) neque Pisaeum neque Triphylium ullum Pausanias inter Olympionicas enumerat, Eleos autem fere 62 (Paus. V et VI passim), quos ut ad unum omnes in ipsa Elide natos esse existimes adduci vix poteris. Elei igitur dedita opera et Pisaeos et Triphylios ipsorum nomine in fastos (cf. quae p. 17 sq. adn. 1 de Africani Pausaniae Philostrati auctoribus disputaturus sum) retulisse videntur. Quod confirmant et Lepreatae et Dyspontii Eleorum nomine Olympionicarum catalogis mandati (cf. p. 13).

deducitur ut num ea quae Africani et Strabonis auctoritate nisi eruimus Pausanias infringere possit investigemus.

Strabo sua ex Apollodoro excerpsit (cf. Niese in Mus. Rhen. XXXII p. 284 sq.); parum accurate. Neque enim dubium mihi est quin Apollodorus, qui quidem Eratosthenem secutus est, quando Pisaei a ludorum cura remoti sint recte tradiderit. De ol. autem 27 et 28 haud scio an inter Africanum et Apollodorum fuerit dissensio, nisi Strabonis numerum corruptum esse ponere malis (ΚΓ e ΚΙ). Quis fuerit auctor Africano non satis liquet. Certe is catalogo quodam Olympionicarum usus est. Ergo quoniam Africanus et Strabo, duo rerum scriptores gravissimi, quos non ex eodem auctore sua desumpsisse probabile est, Pisaeos, postquam in libertatem se vindicassent, solos aliquamdiu Olympia administrasse consentiunt, Pausaniam scriptorem per se infidum dissentientem neglegi oportet.

Sed quid de Pausania statuemus? Utrum cum Ungero (l. l. p. 405) anolympiadum nomen ab eo falso explicatum esse an — id quod Leo praeceptor carissimus me monuit — quae Pausanias tradit ab eo quem ille secutus est scriptore inventa esse censebimus? Hoc mihi praestare videtur Pausaniam vel, ut rectius dicam, eius auctorem scriptore Eleo ob gloriam patriae mendaci usum esse.

Quod Paus. V 9, 4 ol. 50 binos hellanodicas ἐξ ἁπάντων Ἠλείων sorte ductos esse tradit, hoc quoque iure forsitan alicui scriptorem Eleum Pisaeis infestum redolere videatur. Fieri sane potuit ut Pisaei, qui ol. 33 παγκράτιον et ἵππον κέλητα, ol. 37 στάδιον παίδων et πάλην παίδων, ol. 41 πυγμὴν παίδων in Olympiorum ordinem recepisse videntur (cf. cap. II in.), ut iidem ol. 50 alterum hellanodicam adicerent.

Nihilominus aliter de hac re statuendum esse titulus quidam Olympicus docet (I. G. A. 112). Hunc titulum, quo quid, si quis virum Eleum devoverit, faciendum sit Elei ipsi decernunt, apparet lapidi incidi non potuisse eo tempore quo Elei ipsi sacris procurandis plane exclusi erant, quo hellanodica e Pisaeis eligebatur, quo summa rerum penes Pisaeos erat. Ergo titulus post ol. 52 perscriptus esse debet. Neque enim ol. 30 vetustiorem eum esse ullo modo probari potest. Eundem

titulum, cum v. 5 (ἐπένποι ζὲ κ' ἑλλανοζίκας) unius hellanodicae mentio fiat, illa aetate exaratum esse necesse est qua unus eius generis magistratus erat.[1]) Itaque etiam post ol. 52 unus hellanodicae munere functus esse videtur.[2]) Pausaniam l. l. autem, cum ol. 50 binos ex omnibus Eleis hellanodicas sorte ductos esse narret, falsa exhibere luce clarius est. Iam Pausaniae locum accuratius inspiciamus. In eis quae sequuntur § 5: πέμπτῃ δὲ ὀλυμπιάδι καὶ εἰκοστῇ ἐννέα ἑλλανοδίκας κατέστησαν certe corruptela latet.[3]) Itaque num etiam numerum antecedentem πεντηκοστῇ depravatum et emendandum esse censeas? Equidem id pro certo habeo Pausaniae numeros omnino abiciendos esse.

---

[1]) Id Kirchhoff (diar. arch. XXXVIII p. 66) recte perspexit. Idem l. l. Pausaniae (V 9, 4) testimonio confisus hunc titulum ante ol. 50 exaratum esse statuit; nunc in libri qui inscribitur *Studien zur Geschichte des griechischen Alphabets* ed. 4 p. 163 num tituli tempus recte definiverit dubius haerere videtur.

[2]) Busoltium coniecisse supra commemoravi ab ol. fere 30 usque ad ol. 50 communem fuisse ludorum administrationem Eleis et Pisaeis ita ut bini hellanodicae eligerentur, alter ex Eleis, alter e Pisaeis. Hanc coniecturam per se improbabilem falsam esse hic titulus demonstrat. Eodem titulo refutantur Hellanicus et eo usus Aristodemus, qui in schol. ad Pind. ol. III 22 p. 95 B. inde ab initio fuisse binos hellanodicas testantur, et quae inde proficiscentes viri docti coniecerunt. cf. Foerster l. l. p. 17. — Rectissime Aristoteles unum fuisse initio hellanodicam dixit (cf. Harpocrat. s. v. ἑλλανοδίκαι).

[3]) Utrum verbum εἰκοστῇ mendosum an post εἰκοστῇ tale aliquid quale ἀπὸ ταύτης (cf. qu. seq.) a librariis omissum sit vix diiudicari potest. Hoc unum certum est ante ol. 96 novenos hellanodicas institutos esse. cf. Paus. VI 3, 7. Tum Paus. V 9, 6: δευτέρᾳ δὲ ἀπὸ ταύτης ὀλυμπιάδι προσετέθη καὶ ὁ δέκατος ἀθλοθέτης. Haec Foerster p. 34 voci ἀθλοθέτῃ propriam praemia deferentis notionem inesse ratus sic explicat: secunda deinceps olympiade adiectum esse (sc. ceteris hellanodicis) athlothetam, ut decimum. Haec interpretatio inepta est. Etenim qui fieri potuit ut tum demum hellanodica qui victoribus praemia tribueret constitueretur, quasi antea victores Olympici ab hellanodicis coronati non essent? Ἀθλοθέτης igitur hoc loco ut multis aliis (cf. Krause *Olympia* p. 128) idem valet atque ἀγωνοθέτης.

Caput II.

De certandi generibus Olympicis.

Priusquam de ludorum ipso ordine disseram, quot et qualia certamina Olympiae instituta sint explorandum est.

Inde ab ol. 1 usque ad ol. 13 non nisi cursu certatum esse Africanus (ὀλυμπιάδων ἀναγραφή) apud Eusebium, Pausanias (V 8), Philostratus (gymnast. in vol. II ed. Kayser. p. 267 sq.) [1]) unanimo consensu testantur. (Vide etiam Paus. IV 4, 5. VIII

[1]) Philostratus quae de singulorum certaminum institutione profert e catalogo quodam Olympionicarum deprompsisse videtur (cf. Phil. p. 262, 22 sq.), certe non ex eodem quo usus est Africanus. Cf. Philostr. p. 267, 18 sq. et Afric. ad ol. 18. — Cf. Phil. p. 268, 18 sq. et Afric. ad ol. 145, ubi Rutgers (S. Julii Africani ὀλυμπιάδων ἀναγραφή rec. Rutgers p. 75) Philostratum errasse non recte adnotat. — Africanus inde ab ol. 1 usque ad ol. 13, qui stadionicae pronuntiati sint, 3 Eleos, 7 Messenios, Corinthium, Dymaeum, Coronaeum enumerat, Philostratus p. 267, 8 sq. 3 Eleos, 7 Messenios, Corinthium, Dymaeum, Cleonaeum. Rutgers l. l. p. 6 Africani (ad ol. 12) Κορωναῖος e Κλεωναῖος corruptum esse iudicat. Fortasse recte. Quamquam fieri potuit ut qui ol. 12 στάδιον coronatus est is ab Africani auctore Coronaeus, in eo qui Philostrato praesto erat catalogo Cleonaeus nominaretur.

Neque Pausania duce Philostratum usum esse Hirt *de fontibus Pausaniae in Eliacis.* diss. Gryph. 1878 p. 15 sq. recte demonstravit. Sed quae inter Africanum et Pausaniam intercederet ratio is ut cognosceret non operam dedit. Tamen hoc facile perspici potest. Quae Paus. (VI 4, 2. 22, 3) de anolympiadibus quae vocantur profert cum eis quae Africanus tradit discrepare supra vidimus. Praeterea Afric. ad ol. 131 adnotat Hippocratem Thessalum ἵππῳ κέλητι vicisse, Paus. V 8, 11 Tlepolemum Lycium. — Ol. 28 Charmis Lacedaemonius cursus palmam tulit, si Africanum (ad ol. 28)

26, 4. Plut. qu. conv. V 2. schol. vet. in Pind. ol. I 154 p. 44 B.). Ol. 14 δίαυλος in Olympiorum ordinem receptus est (cf. Afric. Paus. Philostr. l. l.), ol. 15 δόλιχος (cf. Afr. et Phil., qui quod in Pausaniae libris corruptum est emendant, cf. Hirt l. l. p. 14 sq.), ol. 18 πένταθλον et πάλη (cf. Afr. Paus. Phil.),

---

sequimur; Chionis Lacedaemonius, si Pausaniae credimus (III 14, 3. IV 23, 4 et 10. VIII 39, 3). Rutgers l. l. p. 10 sq. viros doctos dupliciter quae Pausanias tradit cum Africani anagraphe conciliaturos recte refellit, sed ne ipsum quidem Pausaniam errore lapsum esse statuentem audiemus. Immo vero Pausanias alium atque Africanus Olympionicarum catalogum in usum vocasse videtur. E Paus. VII 16, 10 Diodorum Sicyonium ol. 160 στάδιον vicisse apparet. Afr. ad ol. 160: Ἀνώδωκος (sic cod. Par. — Int. Arm. *Anodoros*) Κυζικηνὸς στάδιον. Rutgers l. l. p. 77 Ἀνώδωκος corruptum esse e Διόδωρος ratus Κυζικηνός ex olympiade praecedente, qua Ἄλκιμος Κυζικηνός στάδιον coronatus est (cf. Afr.), male repetitum deturbasse veram lectionem Σικυώνιος opinatur. Et id iniuria. Recte enim A. de Gutschmid (in Schoenii Euseb. I p. 210) in Ἀνώδωκος latere Ἁγνόδωρος vidit. Diversi igitur ol. 160 stadionicae in catalogis exstabant, in altero, quem Africanus secutus est, Hagnodorus Cyzicenus, in altero, quem Pausanias adhibuit, Diodorus Sicyonius. Aliis quoque locis inter Africanum et Pausaniam intercedunt discrepantiae; velut Afr. ad ol. 9 Xenoclem stadionicam exhibet, Paus. IV 5, 10 Xenodocum. — Afr. ad ol. 48 Glyconem, Paus. X 7, 4 Glauciam. — Afr. ad ol. 129 equuleorum bigas adscitas esse adnotat, Paus. V 8, 11 idem certamen ol. 128 (Ὀλυμπιάδι πρὸ ταύτης (ol. 131) τρίτῃ) institutum esse. Sed cavendum est ne quae in Africani et Pausaniae codicibus leguntur nimia prosecutus verecundia levissimam quamque inter hos scriptores differentiam eo esse coortam censeas quod diversis auctoribus usi sunt. Etenim quam foede victorum nomina depravari potuerint exempla quaedam luculentissime docent. Afr. ad ol. 99 adnotat introductas esse equuleorum quadrigas et coronatum Eurybatum. Paus. V 8, 10 Συβαριάδην victorem dicit. Utrumque nomen esse corruptum e C. I. A. II 978 v. 10 sq. apparet. Eurybiades est nomen victori. — Afr. ad ol. 41 Philotam primam inter pueros pugiles victoriam consecutum esse dicit. Paus. V 8, 9 et Philostr. p. 268, 12 sq. Philetam. Verum esse nomen victori Philytam e C. I. A. II 978 v. 2 sq. intellegitur.

Pausaniam catalogo quodam Olympionicarum usum esse dixi (cf. Hirt l. l. p. 12 sq.). Hunc enim, quod saepius ad Eleorum fastos provocat (cf. Paus. ed. Siebelis praef. X), hos ipsos inspexisse vix quisquam in animum inducere possit. Ergo diversi illi catalogi e quibus Africanus Pausanias Philostratus sua sumpserunt, cum etsi in singulis rebus dissentiebant, in gravissimis tamen inter se congruerent, ex uno eodemque fonte fluxerint necesse est i. e. ex Eleorum fastis.

ol. 23 πυγμή (cf. eosdem), ol. 25 τέθριππον (cf. Afr. et Paus.), ol. 33 παγκράτιον (cf. Afr. Paus. Phil. Solin. IV) et ἵππος κέλης (cf. Afr. et Paus.), ol. 37 στάδιον παίδων (cf. eosdem) [1]) et πάλη παίδων (cf. eosdem), ol. 41 πυγμὴ παίδων (cf. Afr. Paus. Phil. C. I. A. II 978 v. 2 sq.) [2]), ol. 65 δρόμος ὁπλιτῶν (cf. Afr. Paus. Phil. C. I. A. l. l. Paus. VI 10, 4. VIII 26, 2. X 7, 7), ol. 93 συνωρίς (cf. Afr. Paus. C. I. A. l. l. Diod. XIII 57. Xen. hist. gr. I 2, 1), ol. 96 σαλπιγκτής et κῆρυξ (cf. Afr.), ol. 99 τέθριππον πωλικόν (cf. Afr. Paus. C. I. A. l. l.), συνωρὶς πωλική ol. 129 (cf. Afr.) vel 128 (cf. Paus.), ol. 131 κέλης πωλικός (cf. Afr. et Paus.), ol. 145 παγκράτιον παίδων (cf. Afr. Paus. Phil.).

Nonnulla certamina paulo postquam in usum venerunt, sunt abrogata (cf. Plut. qu. conv. V 2). Ol. 38 παίδων πένταθλον Eutelidas Laco primus et postremus vicit (cf. Afric. ad ol. 38. Phil. p. 268, 5 sq. Paus. V 9, 1. VI 15, 3). Ol. 70 ἀπήνης certamen institutum, ol. 84 sublatum est. cf. Paus. V 9, 1, qui quae tradit aut e Polemonis ipsius scriptis aut ex eodem atque Polemo auctore sumpsisse videtur (cf. schol. vet. Pind. ol. V 23). cf. Kalkmann de Pausania periegeta p. 80 sq. Κάλπης certamen ol. 71 receptum eadem qua ἀπήνη olympiade abolitum est (cf. Paus. V 9, 1). Δόλιχον ἵππιον vel ἐφίππιον vel ἱππικόν nunquam Olympiae adscitum esse certum est (cf. Krause l. l. p. XXXII. 96,37). Neque puerorum ἵππον κέλητα a virorum distingui posse — quod Krause voluit — Kindscher l. l. 489 sq. demonstravit.

Praeter viros et pueros etiam imberbes in certamen Olympicum descendisse traditum non est; immo vero, si quae

---

[1]) Phil. p. 268, 10 στάδιον παίδων introductum esse ol. 46 non recte dicit (cf. Rutgers l. l. p. 17 adn. 1).

[2]) Hic titulus, quem non multo ante ol. 129 exaratum esse Kumanudis perspexit, est fragmentum catalogi cuiusdam, quo aut qui omnino inde ab ol. 1 Olympiae coronati sunt Athenienses aut qui primi eorum in unoquoque certamine palmam tulerunt enumerati erant. Praescripta erant tempora quibus quodque certandi genus in Olympia receptum est cum victorum nominibus. Duobus locis (v. 4 et 12) rectum victoris nomen apparere adnotavi. Ceterum non satis diligenter titulum perscriptum esse Sauppe (*Nachrichten von der K. Gesellschaft der Wissenschaften.* Göttingen. 1867 p. 146 sq.) monuit (cf. v. 15).

Pausanias ceterique de Olympiorum institutione et de victoribus Olympicis proferunt perlegeris, id sine ulla dubitatione confirmabis Olympiis plures aetatum classes quam puerorum et virorum non fuisse (cf. imprimis Paus. VI 14, 1. Plut. qu. conv. II 5).

Phlegon Trallianus (in Photii bibl. cod. 97 p. 83 sq. Bekk.) victorum catalogum ol. 177 nobis praebet. Hic locus quantum potest a viris doctis correctus est. Quid duplex δολίχου victor sibi vellet Rutgersio p. 80 aliisque perspicuum non erat. Equidem id monuisse velim locum corruptum esse, cum alterius victoris nomen Γάϊος Ῥωμαῖος nullum sit. Omissi sunt tubicen victor et praeco, unde eorum certamina ol. 177 iam abolita fuisse non sequitur. Titulus Olympicus n. 68 (diar. arch. XXXIV p. 100) P. Aelium Artematem Laodicensem ol. 229 inter praecones Olympicos palmam tulisse docet. Valerius Eclectus Sinopensis praeco quater inde ab ol. 257 usque ad ol. 260 Olympiae coronatus est (tit. Olymp. n. 369 in diar. arch. XXXVIII p. 165). Ceterum Phlegon uniuscuiusque certaminis victores exhibet, primum viros, deinde pueros, denique equos et eo ordine ut ludis aetate superioribus inferiores succedant.[1]) Itaque equorum cursum, quem Africanus (ad ol. 199) olim abrogatum, ol. 199 a Tiberio imperatore renovatum esse tradit, abolitum esse post ol. 177 Phlegon testatur. Iterum equorum cursum intermissum esse apparet ex Afr. ad ol. 222: certamina equestria de integro instaurata esse; sed quando accuratius definiri non potest. Certe post ol. 208; tum enim T. Claudius Aphrodisius κέλητι τελείῳ vicit (insc. Olymp. n. 27 in diar. arch. XXXIV p. 223). Ol. 287 Olympia per aliquot tempus intermissa a Valente Augusto restituta esse Corsinium fast. Att. IV 194 explanasse Kindscher (l. l. p. 492) et Krause (l. l. p. 50) testantur. Unde Corsini haec sumpserit ignoro, cum librum eius inspicere non potuerim. Id vero certum est Iuliani imperatoris tempore Olympiorum sollemnia

---

[1]) Unus ὁπλίτης non suo loco exstat. Haud scio an Phlegon in eo catalogo quo usus est primum Hecatomnum, qui στάδιον, δίαυλον, ὁπλίτην vicit, deinde reliquos victores invenerit, ipse autem ὁπλιτοδρόμον altero, quo nunc legitur, loco i. e. post pueros de suo repetiverit.

viguisse (cf. Iuliani ep. 35). Ol. 293 Theodosius Magnus ludos Olympicos in perpetuum abrogavit (cf. Cedren. hist. comp. 326 D).

Unum in unoquoque certamine corona oleaginea redimitum esse Lucianus [1]) dicit. Hoc ita fuisse ceteri scriptores etiamsi disertis verbis non prae se ferant, tamen non modo non refellunt, verum etiam confirmant, cum in enumerandis Olympionicis unum semper in unoquoque certamine victorem nominent. In quadrigarum certamine solo praeter victorem coronatum etiam ii qui proxime ab illo metam attigerant honorati sunt. Alcibiades enim apud Thuc. VI 16 sese Olympiae quadrigis vicisse et δεύτερον et τέταρτον factum esse praedicat. Confer quae Euripides in carmine in Alcibiadis honorem composito (P. L. G. rec. Bergk II⁴ p. 266 n. 591 v. 3 sq.) dicit: ἅρματι πρῶτα δραμεῖν καὶ δεύτερα καὶ τρίτατα. cf. Isocrat. de bigis p. 353. Athen. I 3 e. De Callia vide Herod. VI 122: τεθρίππῳ δὲ δεύτερος γενόμενος. Quae et qualia praemia secundo, tertio, quarto obtigerint non satis exploratum est. Fortasse nomina eorum quae a praecone publice pronuntiarentur digna habebantur; unus certe coronabatur. Huic sententiae quasi obstantes Krause l. l. p. 170 sq. duos locos dubitanter attulit. In Strab. VI 262 legimus: Δοκεῖ δ' ἡ πόλις (Croto) τά τε πολέμια ἀσκῆσαι καὶ τὰ περὶ τὴν ἄθλησιν· ἐν μιᾷ γοῦν Ὀλυμπιάδι οἱ τῶν ἄλλων προτερήσαντες τῷ σταδίῳ ἑπτὰ ἄνδρες ἅπαντες ὑπῆρξαν Κροτωνιᾶται. E Paus. VI 13. 2 postquam cursores in quaterniones divisi sunt, primo singulos deinceps ordines, deinde singulorum ordinum victores certasse apparet ita ut unus semper victor evaderet. Quare septem illi Crotoniatae inter eos fuisse videntur qui singulorum ordinum victores discesserant. Haec loci illius Straboniani interpretatio etsi a Krausio ipso l. l. p. 171 allata est, tamen illi incertior erat quam debebat. Alterum Herodoti locum V 22: (Ἀλέξανδρος) ἀγωνιζόμενος στάδιον συνεξέπιπτε τῷ πρώτῳ qua ratione Krause l. l. p. $240_{,2}$ explicaverit equidem perspicere non possum. Res plane aperta est. Alexandri cursu certaturi sortem una cum

[1]) Luc. Anach. 13: ANAX. . . ἀτὰρ εἰπέ μοι, πάντες αὐτὰ (sc. τὰ ἆθλα) λαμβάνουσιν οἱ ἀγωνισταί; ΣΟΛ. Οὐδαμῶς, ἀλλὰ εἷς ἐξ ἁπάντων ὁ κρατήσας αὐτῶν.

prima sorte excidisse Herodotus dicit (cf. Liv. XXI 42. Hom. Il. VII 182).

Quae cum ita sint, quot certamina totidem coronas Olympiae certaturis propositas esse oportet. Olympiorum ordine confirmato omnibusque qui ederentur certaminibus adscitis praeter tubicinum et praeconum ludos virorum 8 certandi genera, puerorum 4, equorum 6 vigebant. Schol. vet. Pind. ol. V 14 p. 120 B. victoribus Olympicis 23 coronas datas esse dicit, schol. vet. Pind. ol. III 60 p. 102 B. 17 coronas. Viri quidem docti priorem locum corruptum, alterum sanum esse rati quid scholiastes, cum 17 scriberet, in animo habuisset pervestigare studuerunt. Sed quocunque rem vertes, neque 23 neque 17 coronas efficies. Itaque utroque loco aut numerum depravatum esse aut scholiasten errasse (et id verisimilius est) in hac re acquiescere satius est.

Praeconum et tubicinum certamina ol. 96 instituta esse supra commemoravi. Neque inusitatum fuisse videtur ut in ludis gymnicis etiam praecones et tubicines de corona certarent. Confer quae Cicero ad fam. V 12 de certamine praeconum in ludis gymnicis profert. Cf. Polluc. IV 91 sq. In Eleutheriis Plataeensibus, quae quinto quoque anno certamine gymnico celebrabantur (Strab. IX 632. Paus. IX 2, 6. Plut. Arist. 19 et 21), et in Pamboeotiorum certamine gymnico et equestri prope Coroneam edito (Paus. IX 34, 1. Strab. IX 411. C. I. G. 1558. Keil *syll. insc. Boeot.* p. 63) tubicinum et praeconum certamina in usu fuisse tituli quidam docent (*Bull. de corr. hell.* IX p. 423, ibid. p. 430). Aurelius Parmenides civis Ambryssius pecunias ad ludos gymnicos et equestres edendos decrevit (cf. tit. in *Bull. de c. h.* V. p. 439 editum). In hoc quoque certamen tubicines et praecones admissi sunt.

Praeterea usque ad ol. 211 certamina musica Olympiae nulla fuisse Suetonius (Ner. 23) testatur. Ol. enim 211 Nero *Olympiae quoque praeter consuetudinem musicum agona commisit* (cf. Philostr. vit. Apoll. V 7). Post hanc autem olympiadem poesim neque lyricam neque scaenicam a ludis Olympicis exsulavisse titulus quidam a. 1879 e terra Olympica in lucem prolatus, qui ludorum quorundam et gymni-

corum et musicorum ordinem describit, Dittenbergero (n. 261 in diar. arch. XXXVII p. 132 sq.) comprobare videbatur. Haec inscriptio, recentior certe non altero saeculo p. Chr., et in parte priore et exteriore plane mutilata, sed ne ceterum quidem integra est.

v. 1—4 . . . . ας τῶ[ν . . . . | . . . . ησαντων πο . . . . | . . . . . . νων ἀγωνιζ . . . . | . . . ωιναι (?) ἐπὶ τὸν ἀγῶν(α) αι . . . . | v. 5—7 . . . τῆς μὲν ἀθλή]σεως στάδιον ἀνδρῶν . . . . | . . . . π]ένταθλος ἀνδρῶν πάλη . . . . | . . . . . π]υγμὴ ἀνδρῶν, παγκράτιον . . . . | v. 8 . . . ὁ]πλίτης· ἱπ[πικ]οῦ δὲ κέλης, συνωρίς, τέθρι[ππον . . . | v. 9—10 . . . . ου καὶ ζημιῶν. ἐποχὴ τῶν πρὸς ἀλλήλους [ἀγώνων· τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τ]ῆς πανη(γ)ύρ[εω]ς γεινέσθωσαν ἐν Νεαπόλ[ει . . . τῇ δὲ . . . . v. 11 . . τῶν ἀγώ]νων ἡμέρᾳ πο[μπ]ὴν ἀγέτωσαν εἰς τὸ Καισαρ[εῖον . . . . . . | v. 12—13 . . . . κ]αὶ οἱ ἄλλοι θεο[ὶ τ]ῆς πόλεως κατὰ τὸ συνηθ[ὲς . . . . . καὶ οἱ τὸν ἀγῶνα τὸν σ]κηνικὸν ἀγω[νι]ούμενοι μετὰ τῆς ἰδίας ἕκα[στος στολῆς (?) . . . . . v. 14—15 . . καὶ οἱ μα]στειγοφόρ[οι] καὶ ὁ ξυστάρχης ἔ(τι) θ' οἱ ἀγων[οθέται καὶ . . . . τῆς δὲ θυσίας (?) ἐπιμελείσθ]ω ἡ πόλις. θύ[σ]αντες δὲ Σεβαστῷ Καίσαρ[ι . . . . | v. 16 . . . . . τιθέντες τῷ μὲν σαλπικτῇ ἐπάθλῳ υ. . . . . v. 17—19 . . . . . τ]ῇ δ' ἐχομένῃ [ἀ]γωνιζέσθωσαν κιθαρισ[ταὶ καὶ αὐληταὶ πλὴν τῶν κυ]κλίων. ἐχομένῃ κιθαρισταὶ κύκλιοι, ἔπαθλο[ν ⳨ αὐλητ | αὶ κύκλιοι (?) ἔπαθλον] ⳨ α´ χξς´ ἐχομένῃ οἱ αὐτοὶ καὶ κλῆρος κωμ[ῳδῶν . . . . . v. 20 . . . . ν κλῆρος κωμῳδῶν ἐν πλάσματι. ἐχομέ[νῃ . . . . . | v. 21 . . . β´ ἐχομέ]νῃ τραγῳδο[ί], ἔπαθλον ⳨ γ´ ἐχο[μ]έν[ῃ . . . . | v. 22 . . . . κιθαρι]σταί (?) ἔπαθλο[ν] ⳨ δ´ ἐχομέν[ῃ . . . . v. 23 . . . . . . στου διὰ π[άντ]ων (?)· ἐχομ[ένῃ . . . . . | v. 24—30 . . . . . α κέλητι π[ωλικῷ . . . . | . . . . ἅρ]ματι τελε[ίῳ . . . . | . . . . σῃ Νεαπο[λ . . . . . | . οἱ ἀ]γωνοθέται καὶ ἀ[λυτάρχαι (?) . . . . . | . . . . . ζ]ημιούσθω, ὅσο[ν . . . . . | . . . . λα]μβανέτω⟨ι⟩ εἰς ο . . . . . | . . . . α ἀε[ὶ? . . .].

Certamina equestria et v. 8 et v. 24 commemorantur. Eadem ludis musicis scaenicisque et antecedere et succedere nonne mirandum est? v. 23 sq. rerum et verborum conexus (ἐχομένῃ . . . κέλητι . . . ἅρματι τελείῳ) ludos equestres post musicos editos esse demonstrat. Aliter sese res in parte priore habere videtur (v. 8 sq.). Hic quae et qualia certamina omnino celebranda sint recensentur, descriptio autem ordinis

ipsius dierum festorum v. 9 demum incipit (ἐποχὴ τῶν πρὸς ἀλλήλους [ἀγώνων]). Itaque Dittenberger v. 10: τῇ δὲ . . . ἡμέρα non recte supplevit, scribere debebat: τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ. Atque primum quidem pompa et sacrificia fiebant, deinde ludi musici scaenicique et ii per septem vel plures dies, quibus peractis homines et equi in certamen commissi sunt. Qui quamdiu certaverint non satis cognosci potest. In extrema inscriptionis parte de ludorum magistratibus et de poenis quaedam perscripta erant. Addendum est ludos ἀθλοφόρους sive θεματικούς fuisse i. e. eos in quibus praemium pecuniarium daretur (cf. v. 16 sq.).

Dittenberger hunc titulum in ludos Olympicos referre non dubitavit et loci Suetoniani quem supra attuli memor certamina musica certe non ante ol. 211, fortasse inde ab hac olympiade in Olympiorum ordinem recepta esse statuit. At fieri non potest ut novum illum ordinem ol. 211 a Nerone constitutum in posterum valuisse iudices; nam Elei hanc ipsam olympiadem, quippe quae omni ex parte praeter consuetudinem acta esset, unam ex omnibus in catalogo omiserunt (Paus. X 36, 9). Itaque si omnino Olympiae ludos musicos institutos esse titulus ille comprobaret, tempore aliquo post ol. 211 intermisso id factum esse debebat.

At quod titulus describit certamen ab Olympiis plane diversum est.

Tota ludorum Olympicorum sollemnia intra quinque dies absolvebantur, illis septem dies vix ad certamina musica celebranda sufficiebant. In Olympiis primo pueri, deinde viri, tum equi certabant, postremo sacrificia et pompae fiebant, illi a pompa et sacrificiis initium capiebant. Neque unquam pompa quam in Caesareum imperatoris Romani templum, quod frustra Olympiae quaeres, ducendam esse tituli v. 11 sq. decernitur, in qua praeter ceteros dei et qui honore divino digni putabantur imperatores vecti sunt, qualis in ludis circensibus Romanis locum primarium obtinebat (v. Marquardt *Röm. Staatsverw.* III[3] p. 507 sq.), in Altim deducta neque unquam in ulla ara Olympica Caesari Augusto sacrificium oblatum est (cf. tit. v. 15).

Olympia coniuncta cum Pythiis Isthmiis Nemeis periodum illam ludorum sacrorum effecerunt qui στεφανῖται vocabantur, cum victores praeter coronam frondosam nullum praemium ferrent. Hoc ita fuisse scriptores frequentes comprobant, quos omnes fere Krause p. 8,1 laudat. Lucianus, quem altera saeculi II p. Chr. parte scripsisse constat, Solonem interrogatum quaenam certaminum praemia essent dicentem (in Anach. § 9) facit: Ὀλυμπίασι μὲν στέφανος ἐκ κοτίνου, Ἰσθμοῖ δὲ ἐκ πίτυος e. q. s. Idem (§ 15) Olympiae coronari honorem quo maior excogitari nullus possit esse exponit (cf. § 10). Itaque si hunc Luciani dialogum perlegeris, dubium vix esse poterit quin Olympia Luciani tempore non θεματικά fuerint. Illos autem ludos θεματικούς fuisse supra dixi.

Interrogaverit quispiam quo tandem nisi ad ludos Olympicos titulus ille e terra Olympica effossus spectare possit. Tabula ipsa respondet. Falsissime Dittenberger Neapolim (v. 10 et 26) locum quendam Olympiae situm esse sibi persuasit.

Neapolitani Campani ab arte agonistica excolenda non abhorruisse videntur. In Parthenopes Sirenis honorem Neapoli certamen gymnicum celebratum esse Strabo (V 246) narrat, in quo δρόμῳ λαμπαδικῷ a Diotimo Atheniensi Neapolim transvecto certari solitum esse Timaeus tradit (apud Tzetz. ad Lycophr. 732). Parthenopeis praeclarior alius erat ἀγών, quinto quoque anno per complures dies celebratus, sacer, musicus et gymnicus, quem Strabo [1]) cum nobilissimis Graecorum ludis comparat. Ad hunc, cui nomen erat Augustalia sive Σεβαστά [2]) (C. I. G. 5913, ibid. add. 2810 b) sive Ῥωμαῖα Σεβαστά (ibid. 3902 b), plenius Ἰταλικὰ Ῥωμαῖα Σεβαστὰ ἰσολύμπια (I. G. Ital. et Sic. 748) [3]), titulum illum Olympicum referendum esse censeo.

---

[1]) Strab. V 246: Πλεῖστα δὲ ἴχνα τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα (Neapoli) σώζεται, γυμνάσιά τε ἐφηβικά, φρατρίαι καὶ ὀνόματα Ἑλληνικὰ καίπερ ὄντων Ῥωμαίων. Νυνὶ δὲ πεντετηρικὸς ἱερὸς ἀγὼν συντελεῖται παρ' αὐτοῖς μουσικός τε καὶ γυμνικὸς ἐπὶ πλείους ἡμέρας ἐνάμιλλος τοῖς ἐπιφανεστάτοις τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα.

[2]) Etiam C. I. G. 247, quo in lapide legitur CEP . TA, sine dubio CEBACTA restituendum est, non Εὐσέβεια, quod Boeckh voluit. (Cf. Mommsen in C. I. L. X 1 p. 171.)

[3]) De Augustalibus Neapolitanis vide cap. IV A.

Olympiae loco omnium sacerrimo et praeclarissimo, quo quinto quoque anno homines undique concurrere solebant, titulos diversissimi generis positos esse, ut omnibus noti fierent, terra nuper effossa docuit. Quid? Cives Neapolitani nonne exemplar ordinis ludorum suorum cum Olympiis ipsis comparabilium Olympiae ponere potuerunt?

Exstat alter titulus Olympicus (n. 331 in diar. arch. XXXVII p. 210): Πεισαῖοι Σπερχειὸν ἀμύμονος εἵνεκα μολπῆς. ὀλπ. σνγ´ (= 233 p. Chr.). Neque Dittenberger dubitavit quin Spercheus coronam Olympicam tulisset, qua de causa titulus ei positus esset. Sed Pisaei nonne, etiamsi Spercheus Olympiae coronatus non esset, civem titulo in ipsorum, ut ita dicam, finibus posito honorare potuerunt?

Hi igitur tituli quos attuli certamina musica unquam Olympiae in usum vocata esse comprobare non possunt.

Apud eos s c r i p t o r e s quos potissimum examinabis Africanum Pausaniam Philostratum alios nullum vestigium musici agonis Olympici invenies. Ceteri rerum scriptores, e. g. Lucianum et Plutarchum nomino, de Olympiis, ut de certamine gymnico et equestri, saepissime disserunt, de Olympiorum ludis musicis ne verbum quidem proferunt. Fabulatur autem scholiastes qui e carmine Horatiano ipso (IV 2) in Olympiis etiam *poetas heroum laudibus decantandis et accepto themate certasse et palma coronatos esse* sumpsisse sibi videtur; fabulatur Tzetzes (Chil. I 686), qui Pind. IX in. falso interpretatus Archilochum carmine in Herculis honorem cantato Olympicam victoriam reportasse dicit.[1])

---

[1]) Si theatrum Olympiae fuisset, facere non poteras quin Olympia ludis scaenicis celebrata esse crederes. Xenoph. hist. gr. VII 4, 31 theatri Olympici mentionem facit. Qua re commoti viri docti, cum terram Olympicam effoderent, fore ut etiam theatrum inveniretur speraverunt. Frustra. Nullae theatri reliquiae in lucem prolatae sunt. Tamen C. Lange quo loco Elei theatrum aedificavissent detexisse sibi visus est. Ab Xenophonteo illo loco profectus theatrum eodem loco quo postea palaestram Xenophontis tempore fuisse contendit (in act. convent. philol. Dessav. 1884 p. 199 sq.). Haec sententia facile refellitur. Palaestra enim in planitie sita erat; ubi theatrum exstruerent antiqui regionem montuosam eligere solebant imprimis id

De recitationibus Olympicis ad Meier. l. l. 307 sq. relegare liceat.

---

agentes ut sedes ad collem applicarent. Itaque dubium non est quin Elei theatrum, si opus fuisset, in Cronio monte, qui in Altis partem septentrionalem vergit, aedificaturi fuerint. Neque ullum fuisse theatrum Olympiae usque ad Neronis tempora Philostratus (vit. Apoll. V 7) confirmat, cum haec de Nerone proferat verba: τραγῳδίαν δ' ἐπαγγεῖλαι καὶ κιθαρῳδίαν ἀνδράσιν (Eleis) οἷς μήτε θέατρόν ἐστι μήτε σκηνὴ πρὸς τὰ τοιαῦτα e. q. s. At quid Xenophonte facies? Xenoph. l. l.: ἐπεὶ μέντοι κατεδίωξαν εἰς τὸ μεταξὺ τοῦ βουλευτηρίου καὶ τοῦ τῆς Ἑστίας ἱεροῦ καὶ τοῦ πρὸς ταῦτα προσήκοντος θεάτρου, ut in codicibus legitur, a scriptore ipso proficisci non potuisse Koerte vir doctissimus me monuit, cum loci qui dicitur τὸ μεταξὺ τοῦ βουλευτηρίου καὶ τοῦ τῆς Ἑστίας ἱεροῦ (i. e. τοῦ πρυτανείου) descriptio obscurior sit quam debet. Xenophontis igitur locus macula turpissima adspersus est, quae qua ratione deleatur in medio relinquendum est.

Caput III.

De Olympiorum ordine.

1. Quot fuerint dies festi Olympiis de hac re unum testimonium satis fidum exstat. In carm. olymp. V, quod non recte a grammaticis antiquis in ordinem carminum Pindaricorum receptum esse videtur, legitur de Psaumide Camarinaeo v. 4 sq.:

> ὃς τὰν σὰν πόλιν αὔξων, Καμάρινα, λαότροφον
> βωμοὺς ἓξ διδύμους ἐγέραρεν ἑορταῖς θεῶν μεγίσταις
> ὑπὸ βουθυσίαις, ἀέθλων τε πεμπταμέροις ἁμίλλαις
> ἵπποις ἡμιόνοις τε μοναμπυκίᾳ τε.

πενθαμέροις E F_1 R, πεμπαμέροις O_1 et duo novicii libri, πεμπταμέροις ceteri cod. Traditum igitur est πεμπταμέροις, quod L. Schmidt (de Pindari vita et carminibus p. 391 sq.) et Mezger (comment. in Pind. carm. p. 141) defendere student. Omitto poetam Psaumidem in certamina quinti diei descendisse omnino dicere non potuisse, cum certamina equestria non quinto die edita sint (cf. p. 34 sq.). Recte enim Bergk P. L. G. I[4] p. 79 πεμπταμέροις apertum mendum esse adnotavit novamque interpretandi viam iniit, cum ἀέθλων τε πεμπαμέροις ἁμίλλαις e. q. s. cum ὑπὸ βουθυσίαις coniungi non posse demonstraret. Idem in ed. 2 hanc emendationem commendavit: ὑπό βουθυσίαις, ἀέθλων τε π ε μ π α μ έ ρ ο υ ς ἁ μ ί λ λ α ς (ἐγέραρεν) ἵπποις ἡμιόνοις τε μοναμπυκίᾳ τε. in ed. 3 nihil novandum esse ratus πεμπαμέροις ἁμίλλαις non esse dativos qui videntur, sed poetam Aeolensium more etiam in accusativo clausulas αις et οις adscivisse censuit. In ed. 4 explicationem priorem revocavit. Mihi quidem utrum πεμπαμέροις ἁμίλλαις accusativos Aeolicos esse an poetam πεμπαμέρους ἁμίλλας scripsisse statuamus non multum differre videtur. Certe qui

carmen perlustrat, si poeta clausulis Aeolicis usus est, quid sit rei perspicere posse puto.

Poeta igitur Psaumidis urbem patriam praedicat, quod civis non solum aras sacrificiis honoraverit, sed in certamen ipsum per quinque dies celebratum — quod ut Olympiorum magnitudinem et auctoritatem exprimat adicit — ter descenderit. Psaumidis victoria Olympica in ol. 82 incidit. Inde ol. 82 Olympiorum sollemnia per quinque dies fuisse sequitur.

Idem atque nos (πεμπταμέροις) iam grammatici in codicibus legerunt neque minus in eo offenderunt (cf. schol. v. 14 p. 120 B.). Substituerunt igitur πενθαμέροις et id interpretati sunt. Legitur in schol. vet. V 14 p. 120 B. (nam rec. neglegenda sunt, cum quae vet. tradunt ea solum recoquant): πεμπταμέροις ἁμίλλαις] ἐπειδὴ ἐπὶ πέντε ἡμέρας (libri ἡμέραις) ἤγετο αὐτὰ τὰ ἀγωνίσματα ἀπὸ ἑνδεκάτης μέχρις ἑκκαιδεκάτης e. q. s. Valde mirum est qui certamina per quinque dies fuisse dicit eundem uno velut tenore haec ab undecimo usque ad sextum decimum diem celebrata esse exponere. Cod. Vratisl. A. praebet εἰς ιε΄. Itaque viri docti (Meier l. l. p. 321, Kindscher l. l. p. 495) in ceteris libris numerum ις΄ corruptum esse et emendandum coniecerunt. Non recte. An ceteris quoque locis ubi scholiastae Olympia die 16 confecta esse dicunt (cf. schol. vet. ol. III 33 p. 97 B. schol. rec. ol. V 8 p. 119 B. ibid. 14 p. 120 B.) numerus depravatus est? Equidem scholiasten consilio ἀπὸ ια΄ μέχρις ις΄ scripsisse puto. Qua re commotus sit docent schol. vet. ol. III 33 p. 97 B.: δεῖ δὲ τὸ πρότερον δεύτερον νοεῖν καὶ τὸ δεύτερον πρῶτον. οὐ γὰρ δὴ θυσίαι ἐγένοντο πρότερον, εἶτα οὕτως ἡ διχόμηνις ἔλαμπεν, ἀλλὰ πρότερον ἡ ἡμέρα τῆς πανσελήνου παρεγίνετο, εἶτα οὕτως αἱ θυσίαι καὶ τὰ λοιπὰ τοῦ ἀγῶνος ἐτελοῦντο e. q. s. et schol. 35: ἡ σελήνη, ἐπεὶ ἐν τῇ πανσελήνῳ ὁ Ὀλυμπιακὸς ἀγὼν ἄγεται καὶ τῇ ἑκκαιδεκάτῃ γίνεται ἡ κρίσις e. q. s. Atque primum monendum est Pindari locum [1]) cum omnino

---

[1]) Pind. ol. III 19 sq.:

ἤδη γὰρ αὐτῷ (Herculi), πατρὶ μὲν βωμῶν αγισθέντων, διχόμηνις
    ὅλον χρυσάρματος
ἑσπέρας ὀφθαλμὸν ἀντέφλεξε Μήνα
καὶ μεγάλων ἀέθλων ἁγνὰν κρίσιν καὶ πενταετηρίδ᾽ ἁμᾷ
θῆκε ζαθέοις ἐπὶ κρημνοῖς Ἀλφεοῦ.

tum in singulis rebus falsissime a grammatico explicatum esse. Poeta enim enarrat quomodo Hercules Olympiae plenilunii tempore Iovi patri sacra fecerit et primum certamen instituerit (cf. Pind. ol. II 3, VI 69 sq., X 55 sq.). Neque vero Olympiorum ordinem qui fuerit sua aetate describere vult. Hoc Pindarum in animo habuisse scholiastes opinatur eumque corrigere studet. Deinde cum poeta certamina Olympica esse μεγάλων ἀέθλων ἁγνὰν κρίσιν dicat, scholiastes hanc esse hellanodicarum diiudicationem falso interpretatur. Cf. Meier. l. l. p. 321.

Nunc quid scholiastes l. l. de Olympiorum ordine disputet videndum est. Sacrificia et reliqua certaminis post plenilunium absoluta esse dicit. Plenilunii tempus die 13 aut 14 mensis civilis accidere solebat. Itaque cum scholiastes [1]) diem 14 ponat, sacrificia et reliqua certaminis die 15 et 16 peracta sint necesse est. Quid reliqua certaminis esse velit paulo post dicit: die 16 κρίσιν factam esse. Sacrificia igitur de eius sententia die 15 oblata esse videntur. Quae cum ita sint, grammaticus (schol. V 14) cum Olympia inde a die 11 usque ad 16 celebrata esse dicat, animo finxisse videtur: ante plenilunium a die 11 usque ad 14 ludos ipsos paratos esse et editos, post plenilunium die 15 sacrificia facta, die 16 praemia distributa.

Perscrutandum igitur est num scholiastes proprio die, ludorum sexto, mensis sexto decimo, victoribus coronas impositas esse recte statuerit; cetera nunc missa facio. Primum nonne e rerum ipsa natura apparet quo victorum nomina publice pronuntiata sunt eodem fere temporis puncto victores ipsos ab hellanodicis corona redimitos esse? Deinde in ullo certamine victores ludis confectis proprio die praemio ornatos esse nusquam traditum est. Quid multa? Exstat enim locus gravissimus qui luculentissime nos edoceat victores Olympicos post ipsum certamen coronatos esse. Pausanias V 21, 12 sq. enarrat Apollonium quendam Alexandrinum, cum praestituto tempore Olympiam non venisset, ab hellanodicis ludis prohibitum esse. Heraclidi autem adversario coronam intacto

---

[1]) ol. III 33 p. 97 B.: ὅτε δέ ἐστιν ἡ σελήνη πανσέληνος, δίχα κόπτει τὸν μῆνα· ἐν γὰρ τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τοῦ μηνὸς τοῦτο γίνεται.

pulvere datam esse. Id cum Apollonius graviter tulisset, ut forte ad pugilatum loris illigatus esset, in Heraclidem c o r o n a m i a m c a p i e n t e m invasisse eumque ad hellanodicas confugientem persecutum esse. Hac re conficitur priusquam qui post pugilatores in certamen descensuri erant athletae vocati sunt, hellanodicas Apollonio coronam imposuisse. Accedit ut victores eiusdem quo vicerant diei vespere pompam in Altim deducere ibique in Iovis ara coronas consecrare solerent (cf. p. 37).[1] Qua re grammaticus adductus sit ut proprium coronandi diem statuerit facile est intellectu. Pindari verba eum falso interpretatum omnino hellanodicarum diiudicationem sibi sumpsisse supra commemoravi. Deinde ut certius quid de hac re proferret, ipse proprium coronandi diem commentus est. Restant igitur quinque Olympiorum dies.[2] Scholiastes cum plenilunium die 14 mensis civilis accidere ponat, diem 11 usque ad 15 enumerat. Plenilunium autem vel in diem 13 incidere potuit. Tum fortasse sollemnia die 10 incepta, die 14 confecta sunt.[3]

---

[1]) Praeterca confer Paus. III 21, 1. VI 15, 10. VIII 40, 2. — De Olympiis Antiochenis cf. I. Chrysost. or. II adv. Iud. p. 331 ed. Savil.: καὶ γὰρ ἄτοπον ἐν Ὀλυμπιακοῖς καθημένους ἀγῶσιν ἐκ μέσων νύκτων εἰς μεσημβρίαν μέσην καρτερεῖν ἀναμένοντας ἰδεῖν εἰς τίνα ὁ στέφανος περιστήσεται. — De Nemeis cf. Afric. ad ol. 178: . . . ὃς (Strato) Νεμέᾳ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ παίδων καὶ ἀγενείων τέσσαρας στεφάνους ἔσχεν . . . — Cf. etiam Plut. Cim. et Luc. comp. II in.: ὥσπερ δὲ τῶν ἀθλητῶν τοὺς ἡμέρᾳ μιᾷ πάλῃ [μιᾷ] καὶ παγκρατίῳ στεφανουμένους ἔθει τινὶ παραδοξονίκας καλοῦσιν, οὕτω e. q. s. — Ubique praeter coronam victores palmam accepisse videntur (cf. Plut. qu. conv. VIII 4, 1. Paus. VIII 48, 2).

[2]) Tzetzes in schol. ad Lycophr. 41 rectum praebere videtur: τὰ δὲ Ὀλύμπια πέντε ἡμέρας ἐτελεῖτο ἀπὸ ια΄ τῆς σελήνης μέχρι τῆς ὅλης ιε΄. Cuius testimonium non multum valet. Eundem ne hunc quidem locum ex optimo scriptore sumpsisse quae de quinquertio dicit confirmant. Pinder de quinquertio Graecorum p. 14 sq. quinquertii genera fuisse saltum cursum iaculum discum luctam exponit. Falsa in schol. rec. Pind. ol. XIII 39 et in cod. 13 ex bibl. Laur. p. 308 b enumerari πυγμὴν πάλην δίαλμα δίσκον δρόμον. — In Phavorini lexico s. v. πένταθλον rectum et falsum una leguntur et falsum hoc ordine: πυγμὴ δρόμος δίαλμα δίσκος καὶ πάλη. Tzetzen quoque l. l. de quinquertio verba facere (neque recta) eodemque quo Phavorinum ordine uti Pinderum fugit.

[3]) Viri docti inde a Scaligero et Petavio Olympia celebrata esse quinto quoque anno primo post solstitium aestivum plenilunio docuerunt. Rectius

Olympia inde a primordiis per quinque dies celebrata esse non verisimile est. Initio stadio solum certatum, progrediente autem tempore alia atque alia deinceps certamina Olympiorum ordini inserta esse supra vidimus. Quando primum per quinque dies sollemnia fuerint id nunc in quaestione versatur. Pausanias (V 9, 3)[1]) usque ad ol. 77 homines et equos uno eodemque die certasse testatur. Ol. autem 77 cum quinquertio et equorum certaminibus dies potissimum consumptus et pancratium in noctem productum esset, cautum esse in posterum ne quinquertium neve equorum cursus pancratio impedimento essent. Apparet igitur id tantum ol. 78 primum per plures quam antea dies ludos editos esse.[2]) Ol. 82 Olympia iam per quinque dies celebrata esse vidimus. Ergo quin inde ab ol. 78 quinque Olympiis dies festi fuerint vix mihi dubium est.

2. Venio ad certaminum ordinem describendum. Paus. VI 13, 3 narrat Politen Thracem ol. 212 eodem die et dolichi et stadii et diauli victoriam reportasse. Idem VI 15, 3 sq. ol. 142 Clitomachum pancratio et caestibus depugnasse. Prodiisse eodem die Caprum Eleum palaestram et pancratium professum. Delata vero iam Capro de palaestra palma hellanodicas docuit Clitomachus ludorum ius esse pancratium committi integris corporibus, priusquam vulnus ullum e pugilatu acciperetur. Ordine a ludorum praesidibus commutato in pancratio quidem Capro succubuit; contra pugiles vero summa animi praesentia et corpore usus est firmissimo. Sequitur inde usitatum fuisse ut uno eodemque die luctatores, deinde pugiles, tum pancratiastae certarent. Ol. 104 cum Arcades et Pisaei ludos Olympicos ederent, equorum certamini successisse quinquertium Xenoph. hist. gr. VII 4, 29 tradit.

Nissen (Mus. Rhen. XL p. 349 sq.) olympiades quae numero pari decribuntur a plenilunio mensis Septembris initium cepisse, quibus est numerus impar a plenilunio mensis Augusti statuisse mihi videtur nisus duobus scholiis ad Pindarum (ol. V 33 et 35).

[1]) De hoc loco, cum omnium maxime in virorum doctorum controversia sit, seorsum disputabo in excursu huic capiti adiuncto.

[2]) Kalkmann de Pausania periegeta p. 80 Pausaniam de sacris commutatis disputare non recte dicit.

Haec ad ordinem illum ol. 77 constitutum (Paus. V 9, 3) adumbrandum in usum vocari non posse apparet, nisi novum illum ordinem usque ad ol. 212 (Paus. VI 13, 3) valuisse comprobatur. ‚At Pausanias Olympiorum illum ordinem usque ad suam aetatem viguisse diserte dicit.' Hoc per se dubium est, cum illi, scriptori satis infido, parum credere debeamus. Scriptorem enim sua aetate multo vetustiorem exscribere et illud ἐφ' ἡμῶν aut ultro adicere aut, cum ab illo scriptum videret, ad suam aetatem referre potuit (cf. Kalkmann de Pausania periegeta p. 7. — Paus. I 1, 2 et Kalkmann l. l. p. 54 sq.). Et hunc quidem locum Pausaniam e Polemone vel, ut rectius dicam, e scriptore quodam qui Polemonem secutus est sumpsisse Kalkmann l. l. p. 79 sq. confirmare studuit argumentis quibusdam usus quae etsi dubitanti non omnes scrupulos adimant, tamen quid probabilitatis habere nemo negare potest. Si vero Pausanias quae de Olympiorum ordine commutato profert a Polemone mutuatus est, tum usque ad Polemonis tempora, cuius proxenia Delphica in a. 177/6 incidit (cf. Foucart in *Rev. de phil.* 1878 p. 215), ordinem illum (ol. 77 constitutum) in usu fuisse nobis colligendum est. Neque post Polemonis aetatem, cum nova certamina post ol. 145 nulla adscita sint, Olympiorum ordinem commutatum esse probabile est. Excipias sane virorum certamina Olympica ol. 175 auctore Sulla intermissa (cf. Afric. ad ol. 175 et Appian. de bell. civ. I 99); excipias certamen Olympicum ol. 211 a Nerone celebratum (cf. Afr. ad ol. 211 et Rutgersii adn.); excipias quae de equorum cursu interdum abrogato nobis tradita sunt (cf. p. 20). Haec praeter consuetudinem facta esse videntur.[1]) Sumamus igitur novum Olympiorum ordinem inde ab ol. 78 in posterum valuisse. Alioquin vix quidquam de singulorum certaminum ordine proferre possimus.

---

[1]) Quae de certamine musico imperatorum Romanorum aetate in Olympiorum ordinem recepto Kalkmann p. 72 sq. Dittenbergeri sententiam amplexus disputat ad nihilum veniunt (cf. p. 22 sq.). Idem p. 73 e Paus. VI 13, 4, qui quidem locus lacunosus est, ol. fere 212 cursoribus novum sortiendi modum institutum esse non recte concludit. Sortiendi illa ratio de qua Pausanias verba facit omnibus temporibus fuisse cursoribus videtur.

Usque ad ol. 77 uno die homines et equos decertasse vidimus (Paus. V 9, 3). Deinde post ol. 77 uno eodemque die fuisse et dolichum stadium diaulum (Paus. VI 13, 3) et luctam pugilatum pancratium virorum (Paus. VI 15, 3), equorum cursu successisse quinquertium (Xen. hist. gr. VII 4, 29) eruimus. Nunc vero quaestio oritur qua ratione Pausanias, cum cautum esse ol. 77 ne in posterum quinquertium neve equi pancratio obsisterent dicat, intellegendus sit.

Ubicunque ludi editi sunt, cursus certamina prima fuisse videntur. Itaque haec Olympiae quoque primum locum tenuisse neque post ol. 77 inde mota esse verisimile est. Res igitur eo deducitur ut inquiramus utrum equorum certamina et quinquertium an lucta pugilatus pancratium in posterum diem translata sint. Tertium non datur. Neque enim si Pausaniae ipsa verba aut si ceterorum ludorum ordinem respexeris (ubique fere virorum ludis confectis equorum edi solebant), credibile tibi erit priore die cursus, altero primum equorum deinde reliqua virorum certamina fuisse. Titulus quidam Olympicus (n. 147/148 in diar. arch. XXXVI p. 91 sq.), qui fine saeculi I p. Chr. exaratus esse videtur, T. Claudium Rufum usque in noctem pancratio decertare perrexisse docet. Ut id fieret, pancratio non solum luctam et pugilatum, sed etiam plura certamina antecedere oportuit. Itaque caestuum pugilatus pancratii certamina sola altero die fuisse vix probabis. Restat ut post ol. 77 virorum certamina praeter quinquertium priore, altero die equorum cursus et quinquertium celebrata esse statuamus. (Cf. Holwerdam in diar. arch. XXXVIII p. 169 sq.) Neque falso sic certaminum ordinem descriptum esse locus quidam Lucianeus ab omnibus qui de Olympiorum ordine disputaverunt viris doctis prorsus neglectus apertissime planissimeque demonstrat. In Luciani Timon. § 50 Demeas rhetor Timoni decretum in Timonis honorem conscriptum recitat, in quo haecce leguntur: νενίκηκε δὲ (sc. Τίμων) πὺξ καὶ πάλην καὶ δρόμον ἐν Ὀλυμπίᾳ μιᾶς ἡμέρας καὶ τελείῳ ἅρματι καὶ συνωρίδι πωλικῇ.

Schol. vet. Pind. ol. XIII 1 p. 167 et 43 p. 274 B. Xenophontem Corinthium ol. 79 uno eodemque die stadio et quin-

quertio vicisse dicit. Hac re Kindscher l. l. p. 526 sq. adductus est ut ol. 78 et 79 quinquertium eodem die fuisse quo reliqua virorum certamina, postridie sola equorum statueret; post ol. 79, certe ante ol. 104 (cf. Xen. hist. gr. VII 4, 29), quinquertium in posterum diem translatum esse. At scholiastae verba nihil valent. Is quae tradit e Pindari ipsis verbis, qui v. 30 nihil aliud quam Xenophontem quinquertio et stadio simul i. e. eadem olympiade coronatum esse dicit, sibi sumpsit.

Puerorum certamina pridie virorum fuisse omes viri docti censuerunt. At Plutarchus (qu. conv. II 5) cum dicat: ἐκεῖ (Olympiae) δὲ ὅταν οἱ παῖδες διαγωνίσωνται, τότε τοὺς ἄνδρας καλοῦσι, his ipsis verbis indicare mihi videtur pueros ante viros eodem die certasse. Praeterea Pythiorum exemplum me prohibet ne puerorum Olympicorum ludos a virorum distraham. In Pythiis viri eadem atque Olympiae certamina subierunt; pueris praeter Olympica etiam dolichi et diauli certamina erant (cf. p. 49 adn. 1). Ex Electrae Soph. v. 684 apparet Pythiorum certaminis gymnici et equestris priore die primos cursores in certamen commissos esse, altero die (v. 698) certasse equos. Neque dubium esse potest quin cursu reliqua virorum certamina successerint. Si vero virorum ludi omnes uno eodemque die editi sunt, eodem quoque die puerorum fuisse necesse est. Plutarchus (qu. conv. II 5) enim in singula Pythiorum certamina pueros ante viros vocatos esse tradit.

Tubicines et praecones ubique fere non solum in ludis musicis (cf. C. I. G. 1583. 1584. 1586. alia), verum etiam in gymnicis, ut in Eleutheriis Plataeensibus (cf. *Bull. de corr. hell.* IX p. 423), in Pamboeotiis (cf. ibid. p. 430) inter primos certasse videntur. Eosdem igitur Olympiorum quoque initium fecisse mihi verisimillimum est.[1]) Neque quod Plut. qu. conv.

[1]) Quod tituli comprobant infringere non potest Cic. ad fam. V 12: *multi denique reprehendant et dicant verecundiores esse praecones ludorum gymnicorum, qui cum ceteris coronas imposuerint victoribus eorumque nomina magna voce pronuntiarint, cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium praeconem adhibeant, ne sua voce ipsi se victores esse praedicent.* Vide quae Kindscher p. 522 de hoc loco disputat.

II 5 de puerorum et virorum ordine dicit ad tubicinum et praeconum certamina referendum est. His nullae aetatum definitiones erant.

In gymnicis virorum ludis vulgo dolichus primus fuisse videtur et subsecuta esse stadium et diaulus ut in Panathenaeis (C. I. A. II 966 sq.), in ludis Chiis (C. I. G. 2214), in ludis Aphrodisiensibus (ibid. 2758), in certamine quodam Boeotico (ibid. 1590), in Amphiaraeis Oropiis (Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 121 sq.). Eundem fuisse Olympiis ordinem probabile est. Paus. igitur (VI 15, 3) eodem quo celebrabantur ordine cursus certamina attulisse videtur. Reliqua virorum certamina (ὅπλον excipio) ut in ceteris ludis ita etiam Olympiae sese excepisse Paus. VI 15, 3 docet: luctae pugilatum successisse, huic pancratium. Una ol. 142 pancratium pugilatu contra morem antecessit (cf. Paus. l. l.).

Quem locum armatorum cursus in Olympiorum ordine tenuerit non satis constat. Plutarchi (qu. conv. II 5) verba: καὶ γὰρ ὁπλίτης ἐπὶ πᾶσιν εἰσάγεται μαρτυρούμενος ὅτι τοῦτο τὸ τέλος ἐστὶ τῆς σωμασκίας καὶ τῆς ἁμίλλης, cum ad tempora mythica spectent, nihil valere Kindscher p. 519 recte monuit. At Artemidorus, qui quidem in onir. I 62 ludos et sacros et alios respicit, ibid. 63: τὸ δὲ ὅπλον, inquit, λεγόμενον ἐπὶ πάντων πᾶσι παρολκὰς σημαίνει· τελευταῖον γὰρ καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸ ἆθλον. Qua re commotus Holwerda l. l. p. 170 armatorum cursum Olympicum successisse quinquertio statuit. Neque negari potest hoplitas multis locis postremos certasse ut in Panathenaeis l. l., in ludis Aphrodisiensibus l. l., in Amphiaraeis Oropiis l. l. Nihilominus armatorum cursum in Olympiis pancratio, equorum cursu, quinquertio antecessisse e Paus. V 9, 3 perspicuum est. Kindscher igitur p. 520 hoplitas Olympiae post pugilatores in certamen vocatos esse posuit. Fortasse recte. Quamquam armatos post ceteros cursores certamen subisse malim, cum luctae pugilatus pancratii ordinem ullo certamine interposito distractum esse nusquam videam.

Neque qualis fuerit ordo equorum certaminibus exploratum habemus. Fieri sane potuit ut idem esset qui nobis obviam est in titulo quodam agonistico ad Panathenaea spectante

(C. I. A. II n. 966): κέλης πωλικός, συνωρὶς πωλική, ἅρμα πωλικόν, κέλης τέλειος, συνωρὶς τελεία, ἅρμα τέλειον.

3. Intra Olympiorum dies festos sacrificium praeter cetera magnitudine et splendore excellens Iovi Olympio offerri solebat.[1] Quando fuerit e Pseudo-Andoc. adv. Alcib. § 29 facile cognosci potest: Alcibiadem, cum quadrigis vicisset, ab architheoris Atheniensibus utensilia sacra petivisse dicentem sese pridie sacrificium rem divinam facturum esse. Tamen postero die quam dixerat, priusquam pompa a theoris duceretur et sacrificium fieret, utensilibus eum usum esse. Fieri igitur solebant pompa communis et sacrificium postridie equorum certamina, quae una cum quinquertio post ceteros ludos edita esse demonstravi (p. 34). Neque dubium est quin schol. ad Pind. ol. III 33 p. 97 B., cum sacrificia post plenilunium facta esse dicat, pompam et Iovis sacrificium respexerit.

Victores eodem quo palmam tulerant die cum amicis comissari, pompam per viam illam quae πομπική vocabatur (cf. Paus. V 15, 2) in Altim deducere[2], in Iovis ara coronas consecrare solebant (cf. Pind. ol. VIII 10 et Boeckh explic. ad ol. IV introd. — Pind. ol. IX in. et schol. p. 207 B. sq.). Alcibiades pompam suam contra morem in posterum diem distulisse videtur.

Eleos victoribus in prytaneo publice epulum praebere solitos esse Paus. V 15, 12 tradit. Quod factum esse quinto ludorum die post pompam illam communem et Iovis sacrificium pro certo habere possis.

Olympiorum sollemnia a sacerdotibus sacris initiata esse quamquam traditum non est, tamen per se apparet. Quaeritur autem num ii qui in ludos admissi sunt, priusquam in certamina descenderunt, sacra fecerint. Rerum naturae consentaneum est etiam Olympiae certaturos, priusquam periculum fecerunt,

[1]) Dion. Hal. in Lys. 520: ἔπεμψε θεωροὺς εἰς τὴν πανήγυριν ὁ Διονύσιος ἄγοντας θυσίαν τῷ θεῷ. μεγαλοπρεπής τε καταγωγὴ τῶν θεωρῶν ἐγένετο ἐν τῷ τεμένει καὶ πολυτελής, ἵνα θαυμασθείη μᾶλλον ὁ τύραννος ὑπὸ τῆς Ἑλλάδος. et Lucian. bis accus. 2: καὶ τὸ πάντων ἐπιπονώτατον ὑφ' ἕνα καιρὸν ἔν τε Ὀλυμπίᾳ τῇ ἑκατόμβῃ παρεῖναι e. q. s. hoc respicere videntur.

[2]) Paus. VI 20, 7 πομπικὴν ἔσοδον ἐντὸς τῆς Ἄλτεως commemorat.

deorum gratiam sibi conciliasse. [1]) Neque tamen mihi lex fuisse videtur ut qui certamen Olympicum subituri erant singuli in singulis aris sacrificia facerent. Satis erat ut deorum auxilium precarentur (cf. Lucian. Hermot. 40). Praeterea certaturi oraculum Olympicum [2]) de certaminis exitu consulere potuerunt. [3])

4. A n t e c e r t a m i n a ipsa hellanodicae [4]), gymnastae, athletae eorumque propinqui ad Iovis Horcii signum, quod in curia Olympica erat, sese conferre ibique nihil se fraudis facturos esse quominus ludi Olympici rite fierent iurare solebant (Paus. V 24, 9 sq.). Deinde athletarum et equorum probatio erat (cf. Krause p. 134 sq., Meier p. 311). Haec omnia pridie puerorum et virorum certamina facta esse videntur.

5. προγυμνάσματα. Athletas praeter alia iurasse se decem perpetuos menses meditatos esse quae ad exercitationem requiruntur Pausanias l. l. tradit. Ex eodem (VI 23, 1 sq. et 24, 1) apparet hellanodicas athletis in gymnasio Eleo medi-

---

[1]) Huc spectant duo Pausaniae loci. Paus. VI 20, 15 enarrat aurigas Taraxippo sacra facere solere, ut eum aequum et clementem sibi reddant. Arcades qui de corona Olympica certaturi erant Oebotae vota facere consuevisse dicuntur (Paus. VII 17, 14).

[2]) De oraculo Olympico cf. Boeckh explic. ad Pind. ol. VI in. et ol. VIII in.

[3]) Holwerda l. l. p. 171 βουθυσίαν primo die factam esse arbitratur, quam e (Pind.) carm. ol. V 6 sumpsisse videtur. Si quae p. 28 de hoc loco disputavi respexeris, βουθυσίας ludis ipsis antecessisse ex hoc quidem loco nullo pacto colliges. Neque quando Psaumis sex illas aras geminas sacrificiis honoraverit e poetae verbis ipsis (v. 5) intellegi potest. Schol. V 14 adnotat: ἥνικα οὖν ἐτελεῖτο τὰ ἆθλα τῶν πενθημέρων ἀγώνων, ἐγέραιρε τοὺς βωμούς. Sed eodem iure Psaumidem, priusquam certamina subiit, sacrificia illa deis obtulisse contendere possis. Si vero in ipsius victoriae honorem illum in sex aris sacrificasse ponamus, inde quemlibet qui e certamine quodam victor discessit tot tantaque sacrificia fecisse non sequitur. Psaumis erat homo ditissimus; is una corona donatus est, in tria certamina descendit.

[4]) Paus. V 24, 10: ὀμνύουσι δὲ καὶ ὅσοι τοὺς παῖδας ἢ τῶν ἵππων τῶν ἀγωνιζομένων τοὺς πώλους κρίνουσιν ἐπὶ δικαίῳ καὶ ἄνευ δώρων ποιεῖσθαι κρίσιν καὶ τὰ ἐς τὸν δοκιμαζόμενόν τε καὶ μή, φυλάξειν καὶ ταῦτα ἐν ἀπορρήτῳ. At non solum eos qui pueros a viris vel ab equis equuleos secernebant, sed omnes hellanodicas iusiurandum dedisse rerum natura fert (cf. Krause p. 130, 12).

tantibus praesedisse. Itaque Meier p. 311 athletas per decem menses in gymnasio Eleo se exercuisse coniecit. Contra Krause p. 132 sq.,$_{19}$ athletas Olympiae non decem menses, sed triginta dies exercitationibus operam dedisse testimonio Philostrati (vit. Apoll. V 43) usus comprobavit.[1]) Neque tamen Krause cum et Olympiae per triginta dies et extra Eleorum fines per decem menses athletarum corpora exercitata esse statueret, quid esset rei satis recte perspexisse mihi videtur. Qui Olympiae certaturi erant aut in gymnasio Eleo ipso per triginta dies προγυμνάσματα absolvisse aut sese domi vel alio loco per decem menses certamina meditatos esse iurasse videntur, ne homines inexercitati in certamina committerentur. Eos vero qui per triginta dies in gymnasio Eleo se exercuerant iusiurandum illud dedisse non verisimile est, cum hellanodicae ipsi qui et quales essent hi athletae per triginta dies spectare possent.

6. Qui fuerit sortiendi modus cursoribus ex iis quae p. 21 exposui perspici potest. Similiter equites et aurigae sortitionem fecisse videntur. Quae fuerit sortiendi ratio luctatoribus pugilibus pancratiastis[2]), hanc quaestionem, in qua persolvenda viri docti, imprimis Boeckh expl. ad Pind. p. 317 sq. et Krause p. 114 sq., frustra elaboraverunt, titulis quibusdam adhibitis Holwerda l. l. p. 171 sq. ad finem perduxisse mihi videtur. Si athletarum qui in luctae certamen vel pugilatus vel pancratii descensuri erant numerus impar erat, sortitione facta unus, qui certando abstineret, restitit cui nomen erat ἔφεδρος. Deinde postquam singuli adversus singulos decertaverunt, victores et ephedrus rursus in sortitionem vocati sunt. Tum, si athletae rursus numero impari comprehendebantur, eodem modo atque antea ephedrus evasit is quem sors contigit. Hac ratione iterum atque iterum sortiones factae sunt quoad unus e toto certamine victor discessit. Boeckh igitur et Krause quamquam maxime inter se dissenserunt qui et qualis esset ephedrus, tamen eum admiserunt errorem com-

---

[1]) Cf. Tzetz. ad Lycophr. 41. — De Olympiis Antiochenis vide Ioh. Chrysost. hom. in princip. auct. I t. III p. 59 Montfauc.

[2]) De quinquertii institutione hoc loco non disputabo.

munem quod in uno certamine non nisi unum fieri posse ephedrum statuerunt. Nam in eodem certamine diversi deinceps ephedri sorte duci poterant, in unaquaque sortitione non nisi singuli. [1])

Sortitiones ante ipsa certamina factas esse per se apparet. Quod Krause p. 106 statuit quicunque certamen Olympicum subituri essent primo die festo omnes in sortitionem vocatos esse ineptum est.

7. Totus Olympiorum ordo hic fere erat:

Die I Olympiorum sollemnia initiabantur (προτέλεια).

Die II hellanodicae et athletae ad Iovis Horcii statuam iusiurandum dabant. Deinde erat athletarum et equorum probatio.

Die III 1) tubicinum et praeconum certamina.
2) puerorum, hoc sine dubio ordine: στάδιον, πάλη, πυγμή, παγκράτιον.
3) virorum: δόλιχος [2]), στάδιον, δίαυλος, ὁπλίτης, πάλη, πυγμή, παγκράτιον.

Die IV ἱπποδρομία et πένταθλον.

Die V pompa communis et Iovis sacrificium (ἐπιτελεώματα).

[1]) Aesch. Cho. 859 sq. Kirchh.: τοιάνδε πάλην μόνος ὢν ἔφεδρος
δισσοῖς μέλει θεῖος Ὀρέστης
ἅψειν.

Sic libri. Holwerda l. l. ἐφέδροις pro ἔφεδρος scripsit. Sed quominus quae in codicibus leguntur retineamus nihil impedit. Orestes enim, cum Aegisthus et Clytaemnestra cum Agamemnone dimicarent eumque vincerent, ephedrus erat. Nunc vero, ut ait poeta, ille ephedrus unus cum duobus adversariis certaturus est.

[2]) Africanus cum ad ol. 113 adnotet Ageum Argivum eodem quo Olympiae dolicho vicerat die civibus qui domi remanserant victoriam ipsum renuntiasse, comprobare videtur dolicho priore diei parte certatum esse (cf. Holwerda l. l. p. 170). Sed si dolichum inter tertii diei certamina septimum locum tenuisse ponamus, num fieri potuit ut δολιχοδρόμοι priore diei parte in certamen vocarentur? Certe. Nam ludi sine dubio paulo post mediam noctem prima luce incepti sunt (cf. Ioh. Chrysost orat. II adv. Iud. p. 331 ed. Savil. de Olympiis Antiochenis; cf. Soph. El. 699 de Pythiis).

Excursus.

Paus. V 9, 3: Ὁ δὲ κόσμος ὁ περὶ τὸν ἀγῶνα ἐφ' ἡμῶν ὡς θύεσθαι τῷ θεῷ τὰ ἱερεῖα πεντάθλου μὲν καὶ δρόμου τῶν ἵππων ὕστερα ἀγωνισμάτων. οὗτος κατέστη σφίσιν ὁ κόσμος Ὀλυμπιάδι ἑβδόμῃ πρὸς ταῖς ἑβδομήκοντα· τὰ πρὸ τούτων δὲ ἐπὶ ἡμέρας ἦγον τῆς αὐτῆς ὁμοίως καὶ ἀνθρώπων καὶ ἵππων ἀγῶνα. τότε δὲ προήχθησαν ἐς νύκτα οἱ παγκρατιάζοντες ἅτε οὐ κατὰ καιρὸν ἐσκληθέντες, αἴτιοι δὲ ἐγένοντο οἵ τε ἵπποι καὶ ἐς πλέον ἔτι ἡ τῶν πεντάθλων ἅμιλλα· καὶ ἐκράτει μὲν Ἀθηναῖος Καλλίας τοὺς παγκρατιάσαντας· ἐμπόδιον δὲ οὐκ ἔμελλε παγκρατίῳ τοῦ λοιποῦ τὸ πένταθλον οὐδὲ οἱ ἵπποι γενήσεσθαι.

Sunt qui τὰ ἱερεῖα cum voce πεντάθλου coniungant explicantes Pausaniam ad ludorum ordinem definiendum sacrificia pro quinquertio et equorum cursu facienda in certaminum ipsorum locum substituisse ut Meier l. l. p. 321, Bekker in ed. Paus. Cf. Boeckh explic. Pind. p. 148. Id per se improbabile ne speciem veritatis quidem praebebit, si quae de sacrificiis ante certamina factis exposuimus respexeris. Itaque certum mihi est Pausaniam magna illa sacra quinto die Iovi oblata in animo habuisse.

Quae in libris leguntur mea sententia defendi non possunt. Neque enim Pausanias his ipsis verbis: ὡς θύεσθαι τῷ θεῷ τὰ ἱερεῖα πεντάθλου μὲν καὶ δρόμου τῶν ἵππων ὕστερα ἀγωνισμάτων e. q. s. ludorum ordinem ol. 77 de integro constitutum satis descripsisse mihi videtur. Sacra illa nonne iam ante ol. 77 post quinquertium et equorum certamina facta sunt? ‚Ludis confectis, non post quinquertium et equorum cursum ipsum; inter haec et Iovis illud sacrificium intercessisse ante ol. 77 pancratium' respondeat mihi quispiam. Neque tamen Pausaniam verbis tam captiosis ordinem illum exprimere voluisse equidem mihi

unquam persuadebo. Quod quinquertium et equorum cursus post ol. 77 non uno eodemque die quo cetera certamina edita sunt, haec erat summa commutationis et hanc Pausanias aliquo modo indicare debuit. Deinde sententiae structura eiusmodi est ut tolerari nullo pacto possit. Constat Pausaniam non optime lingua Graeca utentem saepissime obscure et inquinate loqui. At illud ἀγωνισμάτων nonne ita claudicat ut quo referendum sit intellegi non possit? Huc accedit ut vocabulo μέν — δέ oppositum desideretur.

Quibus expositis G. Hermanno (op. VI 14) inter ὕστερα et ἀγωνισμάτων in codicibus verba quaedam, quibus quid antecesserit quinquertio et equorum cursu indicatur, omissa esse censenti assentior, quamquam quae ille ad lacunam explendam proponit verba ipsa [1]) nimis dura mihi esse videntur. Haud scio an Pausanias scripserit: ὡς θύεσθαι τῷ θεῷ τὰ ἱερεῖα πεντάθλου μὲν καὶ δρόμου τῶν ἵππων ὑστέρᾳ [ἡ μ έ ρ ᾳ, π ρ ο τ έ ρ ᾳ δ ὲ γ ί γ ν ε - σ θ α ι τ ὰ ἄ λ λ α] ἀγωνίσματα. Ἀγωνίσματα igitur, cum quae antecedebant verba obliteratae essent, a librariis in ἀγωνισμάτων commutata esse videntur, ut a verbo ὕστερα penderent.

[1]) ὡς θύεσθαι τῷ θεῷ τὰ ἱερεῖα πεντάθλου μὲν καὶ δρόμου τῶν ἵππων ὕστερα [π ρ ὸ τ ο ύ τ ω ν δ ὲ γ ε γ ε ν η μ έ ν ω ν τ ῶ ν ἄ λ λ ω ν ἀγωνισμάτων.

Caput IV.

A. De ludis Neapolitanis quae Augustalia vocantur.

1. Italidem XLIII, quae epocha ab Augustalibus Neapolitanis deducitur, in annum fere 171 p. Chr. incidere ex I. G. It. et Sic. 748 (= C. I. G. 5805) apparet. Suetonio autem adiutore Italidis XLIII tempus accuratius determinari potest. Is enim (Aug. 98) Augustum certamini Neapolitano paulo ante mortem (a. d. XIV Kal. Sept. 14) interfuisse tradit. Itaque recte Ignarra Italidem XLIII posuit in a. p. Chr. 170, unde subductis calculis institutos Neapoli ludos Augustales esse aestate a. 2 p. Chr. in eamque primam incidere Italidem Franz C. I. G. 5805 statuit. Italidem I in a. 2 post Chr. incidere libenter concedo, institutos autem esse ludos iam a. 2 ante Chr. Cass. Dio LV 10 docet. Hoc enim Dionis testimonium a Franzio male neglectum esse Mommsen (C. I. L. X 1 p. 171) recte monuit. Sed quod Augustalia iam a. 2 ante Chr. celebrata sunt, Italis I autem in a. 2 post Chr. incidit, quid inde sequitur? Quarto anno postquam ludi instituti sunt, tum demum decretum esse ut quinto quoque anno instaurarentur et ut inde ab a. 2 post Chr. epocha Italica initium caperet. [1])

2. I. G. Ital. et Sic. 741 (tit. Neap.) phretores L. Herennium Aristum ἄρξαντα τὸν πενταετηρικόν honorant, ibid. 745 (tit. Neap.) cives Seleucum Seleuci filium ἄρχοντα τὸν διὰ πέντε ἐτῶν τιμητικὸν . . . Ἀφροδίτης εὐνοίας [ἕνεκα] θεοῖς. Utroque loco quaestorem quinquennalem intelligi posse Kaibel l. l. p. 191 negat; ad hunc

[1]) Cf. quae de ludis Alexandrinis disputabo p. 54 sq.

recte significandum scribendum fuisse ἄρξαντα τὴν πενταετηρικήν (sc. ἀρχήν) et ἄρχοντα τὴν διὰ πέντε ἐτῶν τιμητικήν (sc. ἀρχήν). Supplendum igitur esse in utroque titulo ἀγῶνα. Celebratos autem esse hos ludos quinquennales in Veneris honorem ex altero titulo (745) apparere, in altero (741) deae nomen omissum esse. Deinde ille haec Veneris certamina non diversa fuisse ab Augustalibus, olim in Veneris honorem edita, postea ad Caesarem Augustum Veneris praenepotem translata coniecit.

Atque primum quidem quaerendum est num quis, si ἄρξαντα τὸν πενταετηρικόν sive ἄρχοντα τὸν διὰ πέντε ἐτῶν legerit, vocem ἀγῶνα subaudire potuerit. Qui ludos adornat iisque praesidet is ἀγῶνα τίθησι vel ἀγωνοθετεῖ, quod plerumque dicitur, ἀγῶνα ποιεῖ (Xen. an. IV 8, 18. V 5, 5. Arist. plut. 1163), ἀγῶνος ἐπιμέλεται καὶ προστατεῖ (Xen. an. IV 8, 18), ἀγῶνας ἄγει (Polyb. XVI 23, 7), ἀγῶνας συντελεῖ (Polyb. XXXI 3, 1. cf. Athen. X 439 b) vel ἐπιτελεῖ (Polyb. XXXI 4, 1. cf. Athen. V 210 e e Posidonio) etc. Ἀγῶνα ἄρχειν est structura rarissima. Tamen invenitur C. I. G. add. 2416 d v. 3: . . . ἦρξεν τὰ Σαραπήια Ἀρχέλεως Ἀριστείδου (cf. vv. 11, 18, 24). Non omitto qui certamini praeest eum πανηγυριαρχεῖν dici (C. I. G. 380. 2653), πανηγυριάρχην (C. I. G. 2184. 2185. 2194. 2944. 2758).[1]) Itaque Kaibel τὸν ἄρξαντα τὸν πενταετηρικόν (741) et τὸν ἄρχοντα τὸν διὰ πέντε ἐτῶν

[1]) Ἀγωνάρχης uno loco, qui quidem hac in re non multum valet, occurrit. Aiax moriturus certaminis de Achillis armis facti memor haec verba facit in Soph. Aiac. v. 572 sq.:

καὶ τἀμὰ τεύχη μήτ' ἀγωνάρχαι τινὲς
θήσουσ' Ἀχαιοῖς μήτε λυμεὼν ἐμός.

Ceterum apud Boeotos antiquissimis temporibus ἀγωνάρχης erat magistratus quidam, idem atque ἀγορανόμος. cf. Eusthat. ad Il. ω v. 1: Ἀγὼν δὲ καὶ νῦν τὸ πλῆθος. Παρὰ δὲ Βοιωτοῖς ἀγὼν τοὺς παλαιοὺς (conicio τὸ πάλαι) ἡ ἀγορά· ὅθεν καὶ ἀγορανόμος ὁ ἀγωνάρχης καὶ παρ' Αἰσχύλῳ ἀγώνιοι θεοὶ οἱ ἀγοραῖοι. Hunc Boeotorum magistratum in titulo quodam Thespiensi invenimus (*Bull. de corr. hell.* VIII p. 414):

Τῦ ἀγωνάρχυ τῦ ἐπὶ
Πολέ[α]ο ἄρχοντες.
Sequuntur tria nomina mutilata.

(745) non quaestorem quinquennalem, sed agonothetam ludorum quinquennalium significare recte statuisse mihi videtur. Coniecturam autem eiusdem de ludis Venereis probare non possum. Neque enim ipse Kaibel titulum 745, quo solo ad sententiam suam comprobandam nititur, descripsit, sed Capaccii apographo p e s s i m o, ut ipse ait, usus versuum ordinem quem titulo olim fuisse sibi persuasit restituit. Sic lacunam post τιμητικόν, quam Capaccius notavit, nullam esse ratus verbis τιμητικόν et Ἀφροδίτης contractis ludos Venereos efficere studuit. Sed hoc ipsum concedatur versuum ordinem recte a Kaibelio determinatum esse. Ne tum quidem ex hoc titulo ludi Venerei erui possunt. Neque enim Ἀφροδίτης cum τὸν διὰ πέντε ἐτῶν (sc. ἀγῶνα) coniungi potest intercedente vocabulo τιμητικόν, quod qua ratione ad ἀγῶνα referri possit (cf. Kaibelii adn. ad. 745) equidem non perspicio. Τιμητικός ut aliis locis sic hic quoque est vir censorius. Virgula igitur ponenda est et post ἄρχοντα τὸν διὰ πέντε ἐτῶν et post τιμητικόν. Ludi autem illi quinquennales, quos et L. Herennius Aristus (741) et Seleucus (745) curavisse dicuntur, Augustalia esse videntur.

3. K a i b e l a d 7 5 5 f o r t a s s e t i t u l u m 7 5 5 e i u s d e m c a t a l o g i p a r t e m e s s e c u i u s t i t. 7 5 4 n o n r e c t e a d n o t a t.

I. G. Ital. et Sic.

n. 754.	n. 755.
	[Σεβ. κρίσεως παλαιστάς]
	ὁ δεῖνα . . .]άρου (?) Ἀντιοχεύς
[Σεβ. κρίσεως πύκτας]	Σεβ. κ]ρίσεως πύκτας
Ἀπολλώνιος Ἀμμ(ωνίου)	[ὁ δεῖνα τοῦ δεῖνος] Νικαιεύς
Ἀλε[ξανδρεύς	
Σεβ. κρίσ(εως) πανκρ(ατιαστάς)	παν]κρατιαστάς
Σεραπίων Ποπλίου Ἀλε[ξανδρεύς	ὁ δεῖνα . . .]ίνου Ἀντιοχεύς
ἀποβάτας	ἀποβά]τας
Α(ὖλος) Ποστούμ(ιος) Ἰσίδωρ(ος)	ὁ δεῖνα . . .]οφάνους Μαλλώτης.
Ἀλε[ξανδρεύς	
Σεβ.] κρίσεως πεντ(άθλους).	

Si titulos alterum cum altero comparaveris, n. 755 v. 6 ἀποβά]τας supplendum esse, Apollonium autem Alexandrinum

(n. 754 v. 1) πυγμήν vicisse apparebit. Itaque tituli, cum uterque eadem certandi genera enumeret, ad eosdem ludos pertinentes eiusdem fortasse lapidis, sed diversorum catalogorum partes esse videntur. Quae si recta sunt, efficiunt eos ludos ad quos tituli spectant ad regulam quandam et normam directos et non semel, sed perpetuo certo semper temporis spatio interiecto celebratos esse. Si haec reputamus, vix ulla suspicio oritur non recte Kaibelium ad 754 hos titulos in Augustalia retulisse.

4. Kaibel ad 754 ad Σεβ. κρίσεως interpretandum de praemio ab ipso imperatore Romano sive constituto sive distributo cogitat. Quid? num ratione grammatica ferri potest quod qui ab imperatore ipso praemio affectus est is Σεβ. κρίσεως παγκρατιαστάς vicisse dicitur? Equidem hoc modo genetivum illum Σεβ. κρίσεως explicare non possum. Deinde nonne mirum esset, si in eodem certamine non ab eodem ludorum praeside atque pancratiastae (i. e. ab imperatore Romano) apobatae coronati essent (cf. n. 754)? Si imperator quidam ipse agonothetae munere functus esset, tum in tituli capite scriptum esset: ἀγωνοθετοῦντος τοῦ δεῖνος Καίσαρος οἵδε ἐνίκων παγκρατιαστάς etc. vel tale aliquid.

At qui tandem tu illud Σεβ. κρίσεως expones? Audio. C. I. G. add. 2810 b legimus honoratum esse quendam ἀγ[ωνισάμεν]ον τριετίᾳ τὰς τρεῖς κρί[σεις παῖδα] ἀγένειον ἄνδρα. Hoc igitur loco κρίσις idem significat quod ordo sive classis. cf. C. I. G. 4472 ἀπὸ πάσης κρίσεως ἀγωνισάμενος i. e. παῖς, ἀγένειος, ἀνήρ. Nonne eandem vim in titulis illis Neapolitanis voci κρίσει inesse probabile est? Sic genetivus ille κρίσεως apte explicari potest. Exstant enim haud pauci victorum catalogi in quibus certandi genus cum genetivo quodam coniungitur qui quo quis ordine victoriam consecutus sit indicat (cf. C. I. G. 2214: παίδων δόλιχον etc. C. I. G. add. 2810 b. *Bull. de corr. hell.* V 1881 p. 439). Nunc qualis fuerit ille ordo examinemus. Inter Σεβ. κρίσεως παγκρατιαστάς et Σεβ. κρίσεως πεντάθλους inserti sunt apobatae. In ἀποβατῶν certamen, quod Atheniensium proprium Athenis Neapolim transvectum esse videtur, praeter viros nulli alii committi solebant (cf. C. I. A. II 966 sq. C. I. G. 2758). Itaque

verisimile est qui in tit. 754/55 pugiles victores, pancratiastae, pentathli recensentur viros esse. Sed quid est cur κρίσις illa Σεβαστή vocata sit? Augustalia (Σεβαστά) Neapolitana in primi Romanorum imperatoris honorem instituta et saepius ab Augusto ipso et ab iis qui huic in imperio succedebant spectata et administrata esse constat (cf. Suet. Aug. 98. Vell. Pat. II 123. Dio LVI 29. I. G. Ital. et Sic. 729). Claudium in ludis Neapolitanis et musicis et gymnicis ipsum prodisse Cass. Dio LX 6 narrat. Eundem certamine Neapolitano a. 42 comoediam Graecam docuisse et de sententia iudicum coronasse apud Suetonium (Claud. 11) legimus. Itaque quod quidam Νέαν πόλιν Σεβαστὰ παίδων Κλαυδιανῶν πανκράτι(ο)ν coronatus esse dicitur (C. I. G. add. 2810 b), a Neapolitanis in Claudii imperatoris honorem ordinem quendam puerorum institutum et eiusdem nomine appellatum esse apertum est. Eodem modo κρίσιν illam Σεβαστήν explicare velim ita ut ordo ille athletarum in gratiam imperatoris Romani *augustus* nominatus sit. Fortasse res accuratius definiri potest. Etenim in titulo Aphrodisiensi (Le Bas *Voyage Asie min.* 1620) societas quaedam athletarum nobis occurrit se ipsa his epithetis ornans: ἡ ἱερὰ περιπολιστικὴ εὐσεβὴς Σεβαστὴ [σύνοδος]. cf. C. I. G. 5561: ἱερὰ ξυστικ(ὴ) Ἀντων(ιανὴ) ὁρδιαν(ὴ) εὐσ(εβὴς) Σεβ(αστὴ) σύνοδος. Neapoli quoque collegium quoddam athletarum Alexandrinorum versatum esse C. I. G. 5804 docet (ἡ φιλοσέβαστος καὶ φιλορώμα[ιος Ἀλε]ξανδρέων περιπολιστικὴ εὐσεβ[ὴς σύνοδος]). Haud scio an illi qui Σεβ. illam κρίσιν comprehendebant gymnici cuiusdam collegii cui nomen Σεβαστὴ σύνοδος erat socii fuerint.

5. Ex titulo illo Olympico de quo supra disputavi primo pompam et sacrificia facta esse, deinde ludos musicos scaenicosque per septem vel plures dies editos, postremo certamina gymnica et equestria cognovimus. Ad hunc Augustalium ordinem accuratius describendum tituli 754 et 755 parum proficiunt. Apparet post pugiles certasse pancratiastas, deinde apobatas, tum pentathlos. Pugilatum autem et pancratium ubique fere cum luctandi certamine coniuncta fuisse scimus velut in Panathenaeis (C. I. A. II 966 sq.), in ludis Aphrodisiensibus (C. I. G. 2758), in Amphiaraeis (Ἐφ. ἀρχ. 1884

p. 121 sq.), in certamine quodam Boeotico (C. I. G. 1590). Itaque Antiochenum illum cuius nomen deletum est (n. 755 v. 1) πάλην coronatum esse conicio. Ceterum qui fuerit Augustalium ordo in dubio ponendum est.

6. Cur Augustalia Neapolitana ἰσολύμπια vocata sint (I. G. It. et Sic. 748) traditum non est. Fuisse causam quod aeque atque Olympia Elea quinquennalia erant Corsini (*diss.* IV *agon.* p. 145) nemini probabit. Nam ne epochae quidem quae ab Augustalibus originem ducebat Olympias, sed Italis nomen erat. Putaverit forsitan quispiam Augustalium certamina in Olympiorum exemplum instituta esse. At primum, si id rectum esset, tum vocabulum ἰσολύμπιον ad gymnicos solum ludos spectaret, cum Augustalibus et musicus et gymnicus ἀγών, Olympiis gymnicus solum fuerit. Propter unam vero certaminis partem totos ludos ἰσολυμπίους vocare parum accuratum esset. Deinde Neapoli pompam et sacrificia ante ludos ipsos, Olympiae certaminibus absolutis facta esse supra demonstrare studui. Praeterea puerorum diaulus (I. G. It. et Sic. 748) et ἀποβατῶν certamen (ib. 754/55) nobis obviam sunt. Neque pueri diaulo neque apobatae unquam Olympiae de corona certaverunt.

Ad quaestionem quam nobis proposuimus persolvendam primum num alii quoque ludi praeter Augustalia Neapolitana ἰσολύμπιοι nominati sint perscrutemur. Soteriorum Delphicorum certamen, quod Gallis ad Delphos a. 279 78 victis in honorem Iovis Servatoris et Apollinis Pythici ab Aetolis instauratum est, fuisse (ἀγῶνα) στεφανίτην καθάπερ ἐψήφισται τὸ κοινὸν τῶν Αἰτωλῶν, τὸ[μ μὲν μουσικὸν ἰσοπ]ύθιον, τὸν δὲ γυμνικὸν καὶ ἱππικὸν ἰσονέμεον ταῖς τε ἡλικίαις κ[αὶ ταῖς τιμαῖς v. 15 sq. tituli cuiusdam Delphici (*Bull. de corr. hell.* V p. 300 sq. = Dittenberger *sylloge insc. Graec.* n. 150) a. 277/76 exarati (cf. Ditt.) edocemur (cf. vv. 10, 24 sq.). En habes cur ἀγών quidam ἰσοπύθιος et ἰσονέμεος vocetur! In alia inscriptione Delphica (*Bull. de corr. hell.* V p. 372 sq.) Nicephoriorum Pergameniorum certamen ab Eumene II (197—159) rege in honorem Minervae Nicephoriae circiter a. 179—172 institutum ita describitur v. 14 sq.: . . . ἀποδεδέχθαι δὲ καὶ τοὺς ἀγῶνας τῶν Νικαφορίων οὓς ἔθηκε βασ[ι]λεὺς Εὐμένης [σ]τεφανίτας, τὸμ μὲν μουσικὸν ἰσοπύθιον, τὸν δὲ γυ[μ]νικὸν καὶ ἱππικὸν

ἰσολύμπιον, εἶμεν] δ[ὲ τ]οῖς νικεόντοις τῶν Αἰτωλῶν τὰς τιμὰς καὶ τὰ λοιπὰ τὰ ἐν τ[οὺς νενικηκότας Πυθίων κ]αὶ Ὀλυμπίων τὰ κατακεχωρισμένα (cf. v. 8 sq.). Tertius titulus Delphicus (*Bull. de corr. hell.* V p. 383) docet ludos Sardios in honorem Minervae et Eumenis II regis, cum Sardios magno periculo liberasset, celebratos esse v. 8 sq.: στεφανίτας ἰσοπυθίους κατὰ π[ά]ντ[α τὸν ἀγῶνα] (sic restituo) μουσικόν [τ]ε καὶ γυμνικὸν, ποτα[γορεύοντας Ἀθαν]αῖα κα[ὶ Εὐ]μέν[εια e. q. s.

Constat in certamina Olympica et Pythica [1]) pueros et viros solum descendisse. Qui in Isthmiis et Nemeis de corona certabant athletae in tres aetatum ordines divisi erant (παῖδας, ἀγενείους, ἄνδρας). Coniecerit quispiam Olympiis easdem atque Pythiis aetatum definitiones fuisse, cum in utrumque certamen pueri et viri solum committerentur, easdem Isthmiis atque Nemeis. Res aliter se habet. Exstant tituli duo Coi (*Bull. de corr. hell.* V

[1]) Antiquissimis temporibus Pythia certamine musico solum celebrabantur. Pyth. 1 (= ol. 48, 3) teste Pausania (X 7) Amphictyones primum etiam athletis praemia proposuerunt Olympica certamina imitantes. Usque ad ol. 48 in Olympiorum ordinem recepta erant haec certamina: στάδιον, δίαυλος, δόλιχος, πένταθλον, πάλη, πυγμή, παγκράτιον, παίδων στάδιον, παίδων πάλη, παίδων πυγμή, τέθριππον, ἵππος κέλης. Haec igitur certamina Amphictyones exceptis quadrigis Delphis instituerunt, ipsi autem solum παίδων δόλιχον et παίδων δίαυλον addiderunt. Pyth. 2 (= ol. 49, 3) Pythiorum ἀγών exemplo Olympiorum στεφανίτης factus est. Deinde cum in Olympiorum ordinem ὁπλιτοδρόμος ol. 65, συνωρὶς ἵππων τελείων ol. 93, τέθριππον πώλων ol. 99 recepta essent, eadem certamina in Pythiis quoque instituta sunt: ὁπλιτοδρόμος ol. 70, 3, συνωρὶς ἵππων τελείων ol. 95, 3, τέθριππον πώλων ol. 100, 3. Restant tria certamina Pythiis et Olympiis communia, quae prius in Pythia introducta esse satis memorabile est: παίδων παγκράτιον in Pythia receptum ol. 108, 3 — in Olympia ol. 145, πῶλος κέλης in Pythia ol. 110, 3 — in Olympia ol. 131, συνωρὶς πώλων in Pythia ol. 116, 3 — in Olympia ol. 128. Itaque cum ludi Pythici fere toti in Olympiorum exemplum exornati esse videantur, nonne inde sequitur Pythiis non alias atque Olympiis aetatum classes fuisse? Si praeter pueros et viros etiam imberbes qui vocantur in certamen Pythicum commissi essent, nonne Pausaniam id verbo tacturum fuisse verisimile est? Omitto etiam Plut. (qu. conv. II 5) de pueris et viris Pythicis solum verba facere. Sed neque ab ullo scriptore neque in ullo titulo quisquam qui inter imberbes palmam Pythicam tulerit commemoratur, quamquam haud pauci Pythionicae memoriae traditi sunt. Itaque non recte Kaibel I. G. It. et Sic. 747 v. 14: [Πύθια ἀγενείων] παγκράτιον supplevit. Scribere debebat Πύθια παίδων.

p. 230 sq.), in quibus victoriae hominum quorundam recensentur: Ἀσκλάπεια τὰ μεγάλα παῖδας Ἰσθμικοὺς πένταθλον (tit. I v. 8 sq.), Δώρεια ἐν Κνίδωι παῖδας Πυθικοὺς παγκράτιον (ib. v. 15 sq.), Ῥωμαῖα τὰ τιθέμενα ὑπὸ τοῦ δάμου παῖδας Ὀλυμπικοὺς στάδιον (tit. II v. 4 sq.) et alia eiusmodi. Pueri igitur qui in certamen Olympicum descendebant aetate diversi erant ab Pythicis et Isthmicis. Eorum autem puerorum aetas qui in Magnis illis Asclepiadeis certabant, eodem modo determinata erat atque Isthmicorum; qui in Doriis Cnidiis certabant pueris Pythicis aequales erant. Confer etiam Suid. s. v. Παναθήναια· καὶ ἀγωνίζεται παῖς Ἰσθμικοῦ πρεσβύτερος καὶ ἀγένειος καὶ ἀνήρ. Recte enim Dittenberger (*syll.* 150 adn. 1) quae codices tradunt conservavit. Itaque quid sibi velit quod in titulo laudato scriptum est: ἀγὼν ἰσοπύθιος vel ἰσονέμεος ταῖς ἡλικίαις facile intellegimus.

Quisquis ex uno Panhellenicorum certaminum victor discesserat is summam gloriam consecutus est. Urbem patriam triumphantis instar moenium ipsorum parte diruta ingredi hieronicarum mos erat (Suet. Nero 25, Cass. Dio LXIII 20). Constat iisdem statuas a civibus positas, ius praesidendi conciliis publicis, immunitatem, alios honores constitutos esse.[1]) Praeter ceteros Olympionicae eminuerunt et inde ab antiquissimis temporibus usque ad imperatorum Romanorum aetatem omni honorum genere affecti sunt (cf. Krause *Olympia* p. 195 sq., Meier l. l. p. 319 sq., Friedlaender hist. mor. II[5] p. 450 sq.). Quare fit ut Alexandro cuidam in titulo quodam Tralliano (*Bull. de corr. hell.* III p. 466), ut quam maxime honoretur, a civibus τιμαὶ ἰσολύμπιοι decernantur. Imprimis autem Athenienses Olympionicas laude et honore prosecuti sunt. C. I. A. I 8 cui in prytaneo Atheniensi epulum publice praebendum sit statuitur. Ex hoc titulo (v. 11—14) Schoell (Herm. VI p. 37 sq.) recte eruisse mihi videtur unumquemque qui in certamine gymnico vel Olympiorum vel Pythiorum vel Isthmiorum vel Nemeorum coronatus erat hoc honore dignum putatum esse, eorum qui in certamine equestri palmam tulerant Olympionicas solum

---

[1]) Qua ratione hieronicae Lacedaemone honorati sint vide Plut. Lyc. 22. qu. conv. II 5, 2. Mueller *Dorier* II p. 240.

(cf. Plato apol. 36 E. rep. V 465 D, Plut. Arist. 27, Xenophan. ap. Athen. X 414 a, Timocles ap. Athen. VI 237 f). Solo Olympionicis quingenas drachmas decrevisse dicitur, Isthmionicis centenas καὶ ἀνάλογον ἐπὶ τῶν ἄλλων i. e. ceteris hieronicis pecuniam ludorum auctoritati convenientem (Plut. Sol. 23. Diog. Laert. I 55). Neque enim Isthmionicis neque Nemeonicis iidem qui Pythionicis honores tribuebantur. Ut Olympiis exceptis Pythia ceteros ludos celebritate et splendore superabant, sic etiam Pythionicae auctoritate solum Olympionicis inferiores erant, ceteris hieronicis superiores. Id eo comprobatur quod Cass. Dio. LII 30 Maecenatem Augusto imperatori suasisse tradit ne unicuique qui in quolibet certamine victoriam reportasset sed ut iis solum qui in Olympiis vel in Pythiis vel in Romano quodam agone coronati essent perpetuum cibum publica impensa dari sineret. Ultimum locum Nemea obtinuerunt (cf. Keil *schedae epigr.* Numb. 1855 p. 5). Ergo cum Soteriorum certamen musicum ἰσοπύθιον, gymnicum et equestre ἰσονέμεον non solum aetatibus, verum etiam honoribus fuisse traditum sit, qui in certamine musico palmam tulerant aeque atque Pythionicas, qui in certamine gymnico et equestri aeque atque Nemeonicas honoratos esse apparet. Nicephoriorum Pergameniorum certamen musicum ἰσοπύθιον, gymnicum et equestre ἰσολύμπιον vocatur, cum victores iisdem honoribus et beneficiis usi sint quibus Olympionicae ipsi et Pythionicae. Quales fuerint aetatum definitiones Nicephoriis titulus non prodit. Neque cur τὰ Ἀθηναῖα καὶ Εὐμένεια Sardia ἰσοπύθια nominentur additur.

Vidimus igitur cur ludi quidam tertii et alterius ante Chr. saeculi ἰσολύμπιοι vel ἰσοπύθιοι vel ἰσονέμεοι vocati sint. Causa autem cur Augustalia Neapolitana in titulo quodam alterius post Chr. saeculi (I. G. It. et Sic. 748) ἰσολύμπια appellata sint num eadem est? Quid? Num eaedem aetatum classes Augustalibus atque Olympiis erant? Num iidem honores qui Olympionicis victoribus Neapolitanis tribuebantur? Utrumque quamquam diiudicari nequit, tamen non verisimile est. In titulo quodam Thyatireno imperatorum aetate exarato (C. I. G. 3498) οἱ βαφεῖς Aurelium Artemagoram honorant λαμπαδαρχήσαντα τῶν

μεγάλων ἱερῶν Αὐγουστείων ἰσοπυθίων. In numis quibusdam Thyatirenis et Caracallae et Elagabali et Valeriani aetate procusis Αὐγούστεια Πύθια reperiuntur (cf. Eckhel *d. n.* I 4 p. 436, Mionnet *descr. de méd.* IV p. 164 n. 977, ib. p. 175 n. 1011). Neque dubium est quin eadem sint certamina quae altero loco Αὐγούστεια ἰσοπύθια, altero Αὐγούστεια Πύθια vocantur. Sequitur ἰσοπύθια idem atque Πύθια significare. Mionnet suppl. VII p. 638 sq. n. 35—40, IV p. 384 sq. n. 62—66, p. 388 n. 92 numos quosdam Ancyranos illustrat Caracallae aetate procusos (Gallieni IV p. 388 n. 92) quibus ludi Ancyrani inscripti sunt. In plerisque exstat: ΑΓΚΛΗΠΕΙΑ ΓΩΤΗΡΕΙΑ ΙΓΘΠΥΘΙΑ. Mionn. VII p. 639 n. 40 et IV p. 388 n. 92: ΑΓΩΝ ΙΓΘΠΥΘΙΑ (cf. Krause de Pythiis Nemeis Isthmiis p. 56 et 207). Hanc scripturam viri docti ubique praebent et sic supplent: Ἀσκλήπεια Σωτήρεια Ἴσθ(μια) Πύθια. Isthmia cognomen ludis extra Isthmum celebratis rarissime datur. In uno numo Nicaeensi Valeriani aetate procuso inveniuntur ΙΓΘΜ. ΠΥΘ. (Ἴσθ(μια) Πύθ(ια)) cf. Eckhel I 4 p. 444. Tamen ludos Ancyranos Isthmicos appellari posse concedo. Sed nonne in eo offendis quod in numis illis Ancyranis plerisque omnia verba praeter Ἴσθ(μια) perscripta sunt, Ἴσθ(μια) in omnibus per compendium notata? Iure igitur suspicari mihi videor in numis illis ΙΓΘ = ΙΓΟ scriptum esse. [1]) Neque dubito quin idem exaratum sit in duobus titulis Ancyranis C. I. G. 4016/17: Τ. Φλ. Γαϊανὸν, ἱππέα Ῥωμαίων καί e. q. s. . . . καὶ ἀγωνοθετήσαντα δὶς τοῦ τε κοινοῦ τῶν Γαλατῶν καὶ τῶν ἱερῶν ἀγώνων τῶν μεγάλων Ἀσκληπιείων ἰσοπυθίων . . . φυλή. Franz utroque loco perperam praebet: Ἀσκληπιείων Ἰσθ(μίων) Πυθίων. Mionnet IV p. 388 n. 87 numum quendam Gallieni aetate procusum profert in quo legitur: Μητρο. Β. Ν. Ἀνκύρας. Ἀσκλη. Πυθ. Hic igitur eadem Asclepia Πύθια vocantur eodemque loco quo vox ἰσοπυθία nomen Πύθια positum esse videtur.

Constat imperatorum Romanorum aetate non uno loco extra Elidem ludos Olympicos, extra Phocidem Pythicos cele-

[1]) Nuper Dressel Berolinensis comiter mecum communicavit in eo numo huius generis qui in museo Berolinensi adservatur revera ΙΓΟΠΥΘΙΑ scriptum esse. Idem me docuit in Headii *historia numorum* 1887 p. 629 iam rectam numorum inscriptionem exstare, quem librum adhuc inspicere non potui.

bratos esse. Hi, quod ad certaminum ordinem et instituta pertinet, plerumque ab Olympiis Eleis et a Pythiis Delphicis plane abhorruerunt (cf. Krause *Olympia* p. 202 sq., de Pythiis etc. p. 53, Meier l. l. p. 324). Neque quicquam fere praeter nomen his cum Olympiis aut Pythiis commune erat. Quod non miraberis, si quanta fuerit illius aetatis libido venandi canoros titulos et magnificos appellationes tecum reputaveris (cf. Eckhel I 4 p. 421 sq.). Saepius igitur fit ut idem certamen simul Olympicum et Pythicum, Actiacum et Pythicum, Dionysiacum et Pythicum nominetur (cf. Eckhel I 4 p. 432 sqq.). Exempli gratia ludos Thyatirenos affero. Thyatiris Αὐγούστεια Πύθια sive ἰσοπύθια celebrata esse vidimus. In numis quibusdam Thyatirenis Αὐγούστεια Ἄριστα Ὀλύμπια (Eckhel I 4 p. 436) et Αὐγούστεια Ἁδριανὰ Ὀλύμπια (Mionnet IV p. 175 n. 1010) nobis occurrunt. Neque utrumque ad unum eundemque ἀγῶνα referre dubito. Quaeritur autem utrum Augustea Pythia ab Augusteis Olympiis diversa sint necne. Haec res alio numo (Mionnet l. l. n. 1011) diiudicatur: Αὐγούστεια Πύθια Ἁδριανὰ Ὀλύμπια. Num hoc loco Augustea Pythia ab Hadrianeis Olympiis secernenda sunt? Αὐγούστεια quin et ad Πύθια et ad Ἁδριανὰ Ὀλύμπια referam equidem facere non possum. Eadem igitur certamina Thyatirena multis ac variis titulis ornata sunt. Tum Augustea Pythia, tum Augustea Olympia, tum Augustea Hadrianea Olympia, plenissime autem Augustea Pythia Hadrianea Olympia praedicantur. [1])

Quibus expositis facilis est coniectura imperatorum Romanorum aetate Olympia, Pythia, Actia etc., qualia nomina unicuique fere certamini tribuebantur, meros titulos esse. Ergo cum eodem quo Pythia loco vocem ἰσοπυθίαν positam esse viderimus, vis quam voci ἰσοπυθίᾳ III et II saeculo ante Chr. inesse perspeximus progrediente tempore ita deflexa esse videtur ut imperatorum Romanorum aetate fere nulla esset.

Idem de voce ἰσολύμπιος statuendum est. Ad finem igitur quae in quaestione erant perduxisse mihi videor.

---

[1]) Mionn. IV p. 164 n. 943, ib. IV p. 170 n. 978, ib. VII p. 454 n. 631 et 632 Πύθια solum, C. I. G. 3206 Αὐγούστεια leguntur.

B. De ludis Alexandrinis.

Olympia Alexandriae celebrata esse C. I. G. 5913 indicat. M. Aurelius Asclepiades Alexandrinus pancratiastes insignis in Olympiis Eleis vicit ol. 240 (v. 19) et in multis aliis ludis (v. 19 sq.). Idem 25 annos natus postquam per sex annos studiis athleticis operam dedit, ex arena decessit; postea autem multo tempore interiecto coactus in certamen rediit Alexandriae, in patria, et vicit ol. 6 Ὀλύμπια.[1])

Initium epochae Alexandrinae accuratius definiri nequit. Edocemur solum ol. 6 Alexandrinam multo post ol. 240 Eleam incidere. Praeterea titulo quodam Neapolitano nisi (C. I. G. 5804 = I. G. It. et Sic. 747) viri docti (Franz l. l. 5804 et Friedlaender hist. mor. Rom. II^{5} p. 434) Actia Alexandrina repperisse sibi visi sunt. Hic titulus a collegio athletarum Alexandrinorum in honorem T. Flavii Archibii Alexandrini positus est, cuius victoriae enumerantur v. 27 sq.: καὶ τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἱερὸν πενταετηρικὸν ἀγῶνα Ἀκ[τιακῶν ἀγενείων] παγκράτιον καὶ μετὰ μίαν πενταετηρίδα ἀνδρῶν πά[λην παγκράτιον] καὶ τῇ ἑξῆς ὁμοίως ἀνδρῶν παγκράτιον e. q. s. Sed si quae supra exposui contuleris, dubium esse non poterit quin Franzii et Friedlaenderi Actia Alexandrina nulla sint. Nam in certamine illo quinquennali Alexandrino in quo Archibius Ἀκτιακῶν ἀγενείων παγκράτιον vicisse dicitur imberbium aetatem pariter atque in Actiis Nicopolitanis definitam fuisse apparet. Actia ab Augusto post victoriam Actiacam Nicopoli instaurata et periodo quattuor illorum certaminum Panhellenicorum adiuncta (cf. C. I. G. 4472, 10 Αὐγούστου Ἄκτια ἐν Νικοπόλει τῆς περιόδου. cf. tit. Olymp. n. 90 in diar. arch. XXX p. 190 et n. 366 ibid. XXXVIII p. 164) summa auctoritate florebant. Quo factum est ut aetatum ordines certaminis illius Alexandrini et certaminis cuiusdam Antiocheni (v. 23 sq.) exemplo Actiorum conformarentur. Nam ne de Antiochenis quidem Actiis quisquam cogitabit.

---

[1]) Cf. l. l. v. 38 sq. . . . καὶ μετὰ τὸ παύσασθαι μετὰ πλείονα χρόνον ἀναγκασθεὶς ἐν τῇ πατρίδι Ἀλεξανδρίᾳ καὶ νικήσας Ὀλύμπια παγκράτιον ὀλυμπιάδι ἕκτῃ.

Olympia quinto quoque anno celebrata esse Alexandriae vidimus. Nonne hoc certamen quinquennale Alexandrinum, in quo Archibius vicit, idem atque Olympicum esse censebimus? Mihi quidem verisimillimum est. An Alexandriae praeter Olympia alios paris dignitatis ludos quinquennales fuisse in animum induceres? At dices forsitan ol. 1 Alexandrinam multo postquam Archibius Alexandriae certavit statuendam esse. Recte. Epocha enim Alexandrina paucis annis ante ol. 240 (181 p. Chr.) incepisse, victoriae autem Alexandrinae Archibii circiter in a. 94 sqq. post Chr. incidere videntur (cf. Kaibelii adn. ad I. G. It. et Sic. 747). Sed quid est quod impediat quominus epocham Alexandrinam non una cum ludis, sed certamine quinquennali aliquantisper celebrato initium cepisse statuamus?

Ex C. I. G. 5915 Franz etiam Σεβαστά Alexandriae edita esse sibi sumpsit:

Ὀλύμπια	Ἀλεξάνδρια	Τὴν ἐξ Ἄργους	Περιοδ[ο]
ἐν Ἀθήναις	Σεβαστά	ἀσπίδα	νε[ίκη]
ἀνδρῶν	ἀνδρῶν	τρίς.	ἀ[λείπτῳ].
πάλην.	πάλην.		

Haec nulla sunt. Alexandrina Σεβαστά hocce modo titulo inscripta essent: Σεβαστὰ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ vel Ἀλεξάνδρειαν Σεβαστά. Ἀλεξάνδρια l. l. autem cognomen ab Alexandro derivatum est. Ubi fuerint haec Ἀλεξάνδρια Σεβαστά non satis perspici potest. Compluribus enim locis Alexandria acta sunt (cf. Eckhel I 4 p. 433).

C. Quae ratio inter Pythia et Soteria intercesserit.

Pythia Delphica tertio quoque olympiadis anno mense Bucatio celebrata esse constat. Eodem anno eodemque semenstri spatio Soteria acta esse cognosces, si C. I. G. 1689 b cum catalogo III Soteriorum (Lueders de artificibus Dionys. p. 192) comparaveris. Idem enim Delphorum magistratus:

Nicodamus iidemque hieromnemones in utroque titulo nominantur. Pythia autem cum Nicodamus in magistratu erat celebrata esse C. I. G. 1689 b v. 6 demonstrat. Sed in hac re viri docti non acquieverunt. Commemorantur enim in titulis quibusdam Pythia et Soteria uno articulo praemisso: εἶμεν δὲ αὐτὸν καὶ θεωροδόκον τῶν τε Πυθίων καὶ Σωτηρίων (Wescher-Foucart *insc. rec. à Delph.* n. 13), θεωροδοκίαν τῶν τε Πυθίων καὶ Σωτηρίων (ib. n. 452), θεωροδοκίαν τῶν τε Πυθίων καὶ Σωτηρίων (C. I. G. 1693), [ἐν Δελφοῖς μὲν τοῖς τε] Πυθίοις καὶ Σωτηρίοις (ibid. 3067). Qua re adductus Mommsen *Delphica* p. 223 sq. tertio quoque olympiadis anno Pythia et Soteria artissime coniuncta in eosdem dies incidisse statuit. Reisch l. l. p. 100 Mommsenum sequitur.

Quod si recte a viris doctis disputatum esset, nonne postquam Soteria instituta sunt, et a rerum scriptoribus, cum Pythiorum mentionem faciunt — quod saepissime fit — et in titulis non Pythia, sed Pythia et Soteria nominari debebant? At nusquam pro Pythiis ‚Pythia et Soteria' invenies. Soteria autem illa quae Nicodamo archonte celebrata sunt cum eodem quo Pythia anno edita esse e C. I. G. 1689 b appareat, ex Mommseni sententia cum Pythiis coniuncta fuisse necesse est. In catalogi III Soteriorum v. 8 legitur: οἵδε ἠγωνίσαν[το τὸν] ἀγῶνα τῶν Σωτηρίων. Quid? Nonne si Pythiorum et Soteriorum certamen unum idemque erat, scriptum esse oportuit: οἵδε ἠγωνίσαντο τὸν ἀγῶνα τῶν τε Πυθίων καὶ Σωτηρίων? Adde quod Soteriorum ἀγὼν ὁ μὲν μουσικὸς ἰσοπύθιος, ὁ δὲ γυμνικὸς καὶ ἱππικὸς ἰσονέμεος ταῖς τε ἡλικίαις καὶ ταῖς τιμαῖς (cf. p. 48 sq.) vocatur. Id fieri non potuit, si quod viri docti volunt verum esset. Ergo Pythiorum et Soteriorum ἀγών confundi non potest; hic erat ἐπιχώριος, ille πανελλήνιος.

Ad sententiam meam corroborandam haec afferam. Aeque atque Pythia et Soteria in titulis Atticis Thesea et Epitaphia cohaerentia apparent C. I. A. II 471, 23: καὶ ἀπεδείξαντο ἐν τοῖς ὅπλοις τοῖς τε Θησείοις καὶ Ἐπιταφίοις, ibid. 471, 77: ἔν τε τοῖς Θησείοις καὶ Ἐπιταφίοις, ibid. 467, 20: τοῖς τε Θησείοις καὶ τοῖς Ἐπιταφίοις. Cf. ibid. 465, 4. 466, 9. 468, 13. 469, 16. His imprimis titulis nisus Mommsen *Heortologie* p. 278 sq. Epita-

phiorum certamen effecisse partem Theseorum evincere studuit. Cui Sauppe *(Gött. Nachr.* 1864 p. 213 sq.) adversatus Theseorum et Epitaphiorum certamina commisceri non posse docuit. Satis est unum et id gravissimum argumentum Sauppii repetere. C. I. A. III 107: Ἐράτων Ἐράτωνος | Αἰξωνεὺς λαμ|πάδα τῶν παρευτά|κτων Θήσεια νει|κήσας ἀνέθηκεν | γυμνασιαρχοῦν|τος τὸ δεύτερον | Λεωνίδου Μει|λιτέως. Ibid. 108: Ἐράτων Ἐράτω|νος Αἰξωνεὺς | τὴν λαμπάδα | τῶν ἀνδρῶν Ἐπιτάφια νική|σας ἀνέθηκεν e. q. s. Confirmant Sauppii argumentationem C. I. A. II 470, 9 sq. 471, 22 sq.

D. De certandi quodam genere.

Orelli *insc. lat. coll.* 2637. Terracinae: *L. Surredi L. F. Clu.* | *Felicis* | *procuratori ab* | *scaen. theat. imp. Caesar. Domitian.* | *Principi* | *coronato contra* | *omnes scaenicos* | *vixit ann. XLIX M III D VIII* | *L. Sorredus Valeria|nus Maximus pant.* | *fratri piiss. fecit.* C. I. L. VI 2, 10114 Romae: *M. Ulpius Aug. Lib. Apolaustus* | *Maximus pantomimorum* | *coronatus adversus histriones* | *et omnes scaenicos* | *artifices. XII.* Hi igitur tituli duos artifices scaenicos coronatos esse contra omnes scaenicos vel adversus histriones et omnes scaenicos artifices praedicant. Neque sine qua veritatis specie illud ‚coronatus contra omnes scaenicos' tituli loco positum esse conicere tibi videaris, si imperatorum Romanorum aetate cum ludos ipsos tum qui in iis coronati sunt et athletas et artifices musicos scaenicosque splendidissimis titulis et appellationibus ornatos esse tecum reputes. Attamen res aliter sese habet.

C. I. G. 2810: Κύκλιος quidam αὐλητής vicit Βαρβίλληα ἐν Ἐφέσῳ τετράκις κατὰ τὸ ἑξῆς καὶ τ[ὸ]ν κατὰ πάντων, Πέργαμον τρὶς κατὰ τὸ ἑξῆς καὶ τ[ὸ]ν κατὰ πάντων . . . Κύζικον Ὀλύμπια καὶ τὸν κατὰ πάντων. Qui Graece στεφανωθεὶς τὸν κατὰ πάντων pronuntiatur eundem Latine ‚coronatum contra omnes artifices' dici iudico. Itaque cum τὸν κατὰ πάντων fuisse certum quendam ἀγῶνα ex hoc titulo eluceat, L. ille Surredus et M. Ulpius in certo quodam certandi genere palmam tulisse videntur. Sed quod et quale fuerit id certamen interrogabis.

Olympiis et Pythiis, antiquissimis ludis, duae aetatum divisiones erant (παῖδες et ἄνδρες), posterioribus plerumque tres (παῖδες, ἀγένειοι, ἄνδρες) velut Nemeis Isthmiis Panathenaeis aliis. Quattuor autem aetates inveniuntur in titulo quodam agonistico Boeotico C. I. G. 1590: παῖδες οἱ νεώτεροι, παῖδες οἱ πρεσβύτεροι, ἀγένειοι, ἄνδρες; quinque in titulo Chio C. I. G. 2214: παῖδες, ἔφηβοι νεώτεροι, ἔφηβοι μέσοι, ἔφηβοι πρεσβύτεροι, ἄνδρες. In Thesea certamina Atheniensia descendebant 1) παῖδες τῆς πρώτης ἡλικίας 2) παῖδες τῆς δευτέρας ἡλικίας 3) παῖδες τῆς τρίτης ἡλικίας 4) παῖδες ἐκ πάντων 5) ἄνδρες. Cf. C. I. A. II 444 sq. Quarta igitur classe omnes tres puerorum aetates comprehensae esse videntur ita ut qui omnes tres aetates simul certantes vicerit victor ἐκ πάντων dicatur. Huc aliae certantium distinctiones accedunt. C. I. A. II 968 sq. primum qui in Panathenaeorum certamine gymnico coronam tulerint, deinde qui in equestri enumerantur. Atque primum locum inter victores equestres obtinent οἱ ἐκ τῶν φυλάρχων 2) ἐκ τῶν ἱππέων 3) ἐκ πάντων 4) ἐκ πολιτῶν. Itaque h. l. ὁ ἐκ πάντων ἀγών opponitur τῷ ἐκ τῶν φυλάρχων et τῷ ἐκ τῶν ἱππέων et τῷ ἐκ πολιτῶν. In hoc certamen sine dubio unusquisque committi poterat et Atheniensis sive phylarchus sive eques sive civis et peregrinus.

Τὸν ἐκ πάντων ἀγῶνα in ludorum gymnicorum et equestrium solum ordinem receptum esse videmus; aliud est certandi genus ὁ διὰ πάντων qui ad musicos solum ludos pertinet. In catalogis duobus agonisticis Thespiensibus (C. I. G. 1585 et 1586) postremi victores διὰ πάντων enumerantur. C. I. G. 1719: Ἡ πόλις ἡ Γορτυνίων Τιβ. Σκα . . . νον Ζώσιμον νεικήσαντα . . . . κοινὸν Κ[ρ]η[τῶν] γ' Πυθαύλας χοραύλας δ[ιὰ] πάντω[ν] e. q. s. C. I. G. 1720: Ἡ μητρόπολις . . . Τ. Αἴλιον . . . στεφανωθέντα . . κοινὸν τῆς Βειθυνίας ἐν Νεικομηδείᾳ Πυθαύλας χοραύλας καὶ τὸν διὰ πάντων, κοινὸν Ἀσίας ἐν Σμύρνῃ Πυθαύλας χοραύλας καὶ τὸν διὰ πάντων e. q. s. Cf. ib. 2758, 2759, 5919. C. I. L. IX 344: *M. Aurelio Augg. Lib.* | *Agilio Septemtrioni* | *pantomimo sui temporis primo* | *hieronicae solo in urbe coronato* | *dia panton ab impp. dd. nn. Severo et Antonio Augg.* | *parasito Appollinis* | e. q. s. Cf. C. I. L. VI 2, 10117. Orelli 2628. Cum in duobus illis catalogis Thespiensibus unus ex iis qui iam

antea in singulis ludis victores inscripti sunt διὰ πάντων coronatus esse dicatur (1585: Eumaro διὰ πάντων et κύκλιος αὐλητής. 1586: M. Aurelius Septimius διὰ πάντων et κύκλιος αὐλητής), Boeckh (ad 1585) qui διὰ πάντων vicit *hunc inter omnes victores esse praestantissimum iudicatum, victorem inter victores* recte statuisse mihi videtur. Ceterum Boeckhio ad 1720: τὸν διὰ πάντων *h. l. de proprio quodam, quo omnes simul certarint cuiuscunque generis agonistici, certamine accipi vix posse* adnotanti adstipulari nequeo.

Primum formula διὰ πάντων accuratius explicanda est. Certe ὁ διὰ πάντων est ὁ διὰ πάντων ἀγωνισμάτων ἀγών sive στέφανος. Neque vero qui τὸν διὰ πάντων vicit revera per omnia certandi genera decertasse potest. In hoc certamen ii qui in singulis deinceps certaminibus palmam tulerant descendisse videntur ita ut qui inter diversorum certandi generum victores coronatus est is quasi διὰ πάντων ἀγωνισμάτων victor nominetur. Accuratius quidquam de hoc certamine me proferre non posse doleo.

In eiusdem aetatis titulis agonisticis et τὸν διὰ πάντων et τὸν κατὰ πάντων invenimus, utrumque certamen musicum. Haec inter se diversa certandi genera esse quis est qui in animum inducere possit? Idem certandi genus modo hoc nomine res spectante, modo illo ad homines pertinente expressum esse puto. Victor autem inter victores, cum e singulorum deinceps certaminum victoribus reportasset victoriam, adversus omnes artifices (κατὰ πάντων) coronatus esse dici poterat eodem iure quo per omnia certamina (διὰ πάντων).

E. De titulo quodam Oropio.

Titulum quendam agonisticum Oropium (Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 128 n. 5) Reisch (*de musicis Graecorum certaminibus capita* IV p. 19. 57) cum titulo quodam Attico saeculi IV parte priore exarato contulit et cum tituli etsi in parte priore mutilati comparari non possunt, ceterum tamen certandi generibus haud dissimiles esse videantur, Oropium quoque titulum saeculo IV

conscriptum esse coniecit. Mihi quidem aliud quoddam indicium temporis definiendi in hac ipsa inscriptione latere videtur.

Paus. VI 4, 5: Σάτυρος δ' Ἠλεῖος Λυσιάνακτος πατρὸς, γένους δὲ τοῦ Ἰαμιδῶν ἐν Νεμέᾳ πεντάκις ἐνίκησε πυκτεύων καὶ Πυθοῖ τε δὶς καὶ δὶς ἐν Ὀλυμπίᾳ. τέχνη δ' Ἀθηναίου Σιλανίωνος ὁ ἀνδριάς ἐστιν. Silanionem, quem ol. 113 (= 328 a. Chr.) Alexandri Magni aetate fuisse Plinius (h. n. XXXIV 8 § 51) testatur, decem fere olympiadibus ante quam Plinius dicit floruisse Michaelis (*Zur Zeitbestimmung Silanions* in *Histor. u. philolog. Aufsätze E. Curtius gewidmet* 1884 p. 105 sq.) recte comprobare studuit. Unde Satyrum quoque saeculi IV parte priore vixisse sequitur.

Satyrus quidam Eleus in titulo illo Oropio bis nobis occurrit v. 22 ἀνὴρ πυγμὴν· Σάτυρος Ἠλεῖος, v. 25 ἄνδρας παγκράτιον· Σάτυρος Ἠλεῖος. Quid? Hic Satyrus nonne idem esse videtur quem Pausanias commemorat? Mihi quidem verisimile est. Neque mirabile est quod Pausanias Satyrum in Amphiaraeis quoque palmam tulisse omisit. Is enim in Olympionicis enumerandis, cum omnino quas quis praeter Olympicam victorias reportaverit adicit, Pythicas, Isthmicas, Nemeas, alias nullas proferre solet. Itaque Pausanias, si quidem eundem Satyrum commemorat, titulum illum Oropium saeculi IV parte priore exaratum esse confirmat. Sed paulo accuratius tempus determinare conabor. Eorum qui in Amphiaraeis coronati sunt nomina non plura quam 35 in hoc titulo in initio et in fine mutilato cognosci possunt. Quorum dimidiam fere partem (16) Athenienses esse memorabile est. Qua re conficitur quo tempore titulus conscriptus est tum Oropios in amicitia vel, ut rectius dicam, in dicione Atheniensium fuisse.

Persarum impetu repulso et imperio illo maritimo Atheniensium constituto inter alias civitates Oropus in potestatem Atheniensium venit in eaque usque ad a. 411 remansit. Tum sui iuris facta non diu libertate usa est. A. 402 in foedus Boeoticum recepta est, cuius cum 14 fere annos socia fuisset, rursus in libertatem se vindicavit. Ab a. fere 377 usque ad 366 Oropus Atheniensium erat, deinde usque ad 338 inter civitates Boeoticas. Pugna autem ad Chaeroneam facta

Philippus rex Macedonum Oropios in Atheniensium dicione esse iussit. At Alexandro Magno mortuo cum Graeci servitutem a Macedonibus impositam repellere conarentur, Oropii quoque Atheniensium imperium repudiaverunt (a. 322). Neque ante imperatorum Romanorum tempora in potestatem eorum rursus redacti sunt (cf. Preller in act. menstr. acad. Lips. IV p. 176 sq. de Wilamowitz in Hermae vol. XXI p. 97 sq.).

Quae cum ita sint Satyrum illum Eleum intra annorum spatium a 377—366 in Amphiaraeis palmam tulisse statuo eodemque tempore titulum illum Oropium lapidi incisum esse.